

retineantur, animadversa, & observari præcepta, perleguntur.)

FIDEICOMMISSUM.

SUMMARIUM.

- 1 **F**IDEICOMMISSUM quid sit: utriusque hæredis denominatione: conservationem bonorum in familia intendit, ad num. 4
- 5 Ex quo tempore fideicommissorum usus: quotuplicia sint: definitio & divisio substitutionis, & fideicommissariæ, ad num. 13.
- 14 Relicto fideicommisso, si decesserit sine liberis, quid de prole postea nata, vel hæres monasterium ingrediatur, varietateque super hoc signantur limitationes, ad num. 22.
- 23 An fideicommissum vendi, pignori, vel hypothecari possit, & quæ limitationes, ad num. 29.
- 30 Additiones inseruntur, ad num. 51.

FIDEICOMMISSUM est hæreditas, vel pars illius, quam hæres à testatore rogatur, vel jubetur alteri restituere; Est in jure communis, arg. tot. tit. Cod. de fideicom. & Instit. de fideicom. hæred. Hæres, qui jubetur, vel rogatur restituere hæreditatem, vel partem ejus, vocatur hæres fiduciarius; item hæres gravatus; leg. Scias 46. ff. SC. Trebellian. item vocatur hæres fideicommissarius. Is vero, cui jubetur restitui, vocatur fideicommissarius simpliciter, §. Sed quia 7. Instit. de fideicom. hæred. Fideicommissum dicitur ambitiosum hominis placitum ad conservationem bonorum in familia part. 6. recent, decis. 312. num. 4. Ante legem XII. Tabularum erat incognitum, & ejus usus incepit temporibus Augusti Cæsaris; Rota part. 5. tom. 1. decis. 36. num. 44., & part. 10. decis. 1. num. 64.

6 Fideicommissum aliud est universale, & aliud particulare. Universale est, quando tota hæreditas, vel certa quota ejus debet alteri restitui, §. In primis, & §. præterea, Instit. de fideicom. hæred. Particulare est, quando non tota hæreditas, vel certa quota, sed solum res aliqua particularis restitui debet; Instit. de singulis rebus per fideicommissum relict. Fideicommissum particulare sequitur naturam legati, & Jure novo, reipsa non differt; lib. 1. ff. de Legat. 1. Pirhing. lib. 2. tit. 26. num. 72. Reiffenstuel ibidem num. 605. & alij passim. Item fideicommissum aliud est purum, seu absolutum, & aliud est conditionale. Fideicommissum purum, seu absolutum est, quod fit absque omni conditione apposita, & tale est, si testator v. g. dicat: Petrum hæredem instituo, eumque rogo, vel mando eidem, ut totam, vel modicam hæreditatem restituat Paulo; Est in re communis, arg. §. 1. Instit. de fideicom. hæred. Fideicommissum conditionale est, quod fit apposita aliqua conditione, ut si testator dicat: Petrum hæredem instituo, voloque, ut sine liberis decesserit, hæreditas restituatur Paulo. Hoc autem fideicommissum conditionale eveniente, seu purificata conditione evadit purum, seu absolutum: arg. leg. Cedere diem 113. ff. de verb. sig. & leg. 1. ac 4. ff. Quando dies legat. (Lit. C pag. 177. in fin. num. 45.)

10 Dictum fideicommissum subdistinguitur in restitutorium, & conservatorium. Fideicommissum restitutorium est illud, quod pure, & simpliciter ordinatur pro casu mortis, ut cum testator hæredem instituit, v. g. Titium, eique mandat, ut in casu suæ mortis totam, vel mediam hæreditatem, restituat Cajo; & de hoc fideicommissis raro audiuntur quæstiones in tribunalibus, cum in claris, & in expressis non intrent quæstiones, & argumenta, textu expresso in leg. Ille 25. ff. de Legatis 3., ibi: Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio. (Lit. E pag. 361. prope fin. num. 35.) Fideicommissum conservatorium est illud quod instituitur cum expressa prohibitione alienationis, seu confiscationis, ad hoc ut pro majori splen-

dore, ac decore familiæ bona conserventur in agnatione vocata, & ne extra illam exeant; & tunc hæres gravatus non potest illa alienare, vel obligare, leg. Sancimus 7. Cod. de rebus alienis non alienandis, cum similibus. (Consonat lex 44. tit. 5. p. 5. 27. Tauri, 11. tit. 6. lib. 5. Recop. Cast. Ad rem lex 43. tit. 5. ejud. p. 10. tit. 33. p. 7.)

Rursus fideicommissum in casu mortis aliud est, quod simplex, ac ordinarium dicitur, non excludens successorum pluralitatem, ac simultaneum concursum omnium qui eundem proximitatis gradum, vel æqualem statum habent. Et tunc hæres gravatus non potest alterare ordinem à testatore præscriptum, uni gratificando, & alium excludendo, leg. omnia 32. §. in fideicommissis ff. de Legatis 2. alia leg. Cum ita legatur, leg. fin. Cod. de verborum signific. cum similibus, Cardin. de Luca de fideicommissis discurs. 16. num. 3. Pereg. de fideicommissis. art. 11. num. 7. Bellon. jun. Consil. 1. à num. 32. ad 36. Rota apud Seraphin. decis. 874. & apud Coccinum decis. 495. Et aliud est, quod pluralitatem successorum, seu plurium simultaneum concursum non admittit, sed uni tantum personæ convenit, atque istud sub duplici vocabulo explicatur, primogenituræ scilicet, ac majoratus: & hoc fideicommissum regulatur eodem fere jure ac feudum, cum à primogenituris ad feuda, vel è contra, quoties lex feudorum non urget, licitum sit arguere, Card. de Luca de Feudis discurs. 55. num. 4. Molina de primogenituris lib. cap. 1. num. 7. Surdus Consil. 241. & alij Juristæ passim, apud quos plurima de omnibus istis.

Substitutio est unius in alterius locum ad rem aliquam in ultima voluntate vocatio: est in re communis. Substitutio est duplex, directa, & indirecta. Directa est, per quam substitutus hæreditatem testatoris consequitur immediate, & sine ministerio alterius primi instituti, ut si testator dixerit: Petrus sit hæres, aut si hic non erit, sit Paulus. Indirecta est, per quam committitur fidei directi hæredis, ut hæreditatem tradat alteri, ideoque etiam dicitur Fideicommissaria, quia substitutus accipit hæreditatem non directe à testatore, sed à fideicommissario: Ut si testator dixerit, Petrus sit meus hæres, quem rogo, seu gravo, ut quando morietur, hæreditatem totam, seu partem aliquam, v. g. mediam, vel tertiam, vel certam rem Paulo restituat. Unde substitutio fideicommissaria est, qua hæres ex testamento, vel ab intestato decedens, vel absolute, vel sub conditione gravatur, seu obligatur hæreditatem totam, vel certam aliquam partem ejusdem, mediam v. g. vel tertiam, vel certam rem alteri restituere; Est in re communis, arg. 1. §. 1. & 2. Instit. de fideicommissis. hæred. (Leg. 2. & 14. tit. 5. p. 6.)

In fideicommissis universali ordinato ab ascendente substitutiones intelliguntur factæ sub tacita conditione: Si institutus, vel gravatus sine filiis decesserit, ita ut quævis proles præferatur extraneo substituto, textu expresso in leg. Cum avus 101. ff. de Cond. & demonstr. & leg. Cum accutissimi 30. Cod. de fideicommissis, ibi: Si quis filium suum hæredem instituit, & restitutionis post mortem onere subegit, non aliter hoc videtur disposuisse, nisi cum filius ejus sine sobole vitam suam reliquerit. Uti etiam hæc ratio subjungitur: Quia merito præsumitur hæreditatem suam potius propriis descendentibus, quam alienis relinquere voluisse. (Leg. 10. tit. 4. 12. tit. 5. p. 6. cum glos. D. Gregor. Lopez. Ad rem vid. lit. D pag. 115. num. 20. usq. ad 24.) Est communis cum Rota part. 5. rec. tom. 1. decis. 319. n. 11. part. 12. decis. 380. num. 5. part. 18. tom. 1. decis. 102. num. 3. & 15. & sæpe alibi. Non decedit sine liberis, qui unicam prolem, sive masculum, sive foemellam habet, textu expresso in l. 148. de Verb. Sig., ibi: Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est, Communis. (Leg. 23. & 32. tit. 9. p. 6. glos. 1. & 32. D. Greg. Lop.) Si filius gravatus in testamento patris hæreditatem alteri restituere si sine liberis decesserit, ingrediatur religionem, seu monasterium bonorum capax, ibique profiteatur, excluditur substitutus, & succedit monasterium, Rota part. 8. decis. 34. num. 4., &

- seq. part. 12. decis. 433. num. 19. & seq. Testator enim præsumitur diligere monasterium, sicuti filium instituti, & proinde sicuti prætulit substituto filios instituti, ita censetur voluisse præferre monasterium, Rota part. 3. decis. 358. num. 3. & seq. part. 8. decis. 134. num. 10. & seq. Covarruvias lib. 1. variar. resolut. c. 19. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 9. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 26. num. 74. Reiffenstuel loc. cit. num. 624. Authent. Nisi rogati Cod. ad SC. Trebellian. quæ desumpta est ex Authent. de S. Episc. §. Sed & hoc Coll. 8. & cap. In præsentia 8. de probat. ubi in simili casu proposito iudicatum est ad favorem monasterii contra substitutos. (Repete leg. 10. proxime cit. glos. 8. Conducit lex 17. tit. 1. part. 6.)
- 17 Limitatur tamen primo conclusio in casu, quo testator veram, & naturalem siliationem voluerit, puta si dixerit sine veris filiis, vel sine legitimis, & naturalibus, aut ex corpore suo natis, cum similibus, Rota part. 3. decis. 358. num. 3. & seq. part. 6. dec. 179. n. 16. cum sequent. part. 8. dec. 131. num. 6. part. 12. decis. 434. num. 6. Si enim testator in conditione si sine filiis expresserit qualitates non competentes, nisi naturalibus, monasterium non censetur consideratum loco filii; Rota part. 3. decis. 358. n. 13. & sequent. p. 6. dec. 179. n. 17. part. 8. dec. 134. n. 6. part. 12. dec. 434. n. 6. Limitatur
- 18 secundo in casu, quo testator tacite, vel expresse consideraverit conservationem agnationis, quo casu omnes Doctores conveniunt, monasterium non excludere substitutos; Rota part. 8. dec. 134. num. 15. Et sic contingit in primogenituris, ac majoratibus, qui ad conservandum splendorem familiæ eriguntur; In his enim, excluso monasterio, succedere proximum agnatum fatentur Doctores communiter cum Covarruvias loc. citat.
- 19 cap. 19. Layman loc. cit. cap. 9. Molina disp. 622. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 8. q. 5. Limitatur tertio in casu, quo hæres iniquo animo fraudandi substitutum fideicommissum ingreditur religionem; Menochius lib. 4. Præsumt. 83. num. 56. Abbas in cap. In præsentia 8. de probat. n. 46. Pirhing. loc. cit. num. 76. Reiffenstuel l. citat. num. 626. Sanchez lib. 7. cap. 16. num. 57. & 55. & alii; Et ratio est, quia fraus, & dolus nulli patrocinari debet; cap. Sedes 15. c. Ex tenore 16. de rescriptis, cap. Tue 12. de Clericis non resctd. leg. in Fundo ff. de rei vindic. leg. Cum hi ff. de transact. leg. Si Legatoribus, Codice de Legatis.
- 20 (Vid. lit. E pag. 175. infra med. n. 51.) Limitatur quarto in casu, quo hæres gravatus inductus est ad ingressum religionis suasionibus, & blanditiis Monachorum, tunc enim monasterium nulla bona hujus professi consequitur, adeoque nec substitutus excludetur; Menochius leg. citat. num. 86. Sanchez cit. num. 62. Pirhing. loc. cit. sub num. 76. per Jura mox allegata. Limitatur quinto in casu, quo hæres ingreditur monasterium bonorum in communi, & successionis omnino incapax, ut sunt monasteria Minorum de toto corpore Observantiæ, & Capucinatorum; tunc enim substitutus succedit statim à die professionis, quia professio in talibus monasteriis quoad successionem æquiparatur morti naturali; Menoch. l. cit. n. 81. Pirhing. l. c. sub n. 76. Reiffenstuel l. c. n. 626. Li-
- 22 mitatur sexto in casu, quo alia causa pia sit substituta, ut si testator dixerit, si hæres meus sine liberis obierit, substituo hospitale, pauperes, ecclesiam parochialem, & hujusmodi, quando enim privilegiatus concurrat cum privilegiato, tunc privilegiis non attentis, servatur Jus commune, & sic licet hæres ingrediatur monasterium, & ibi profiteatur, adhuc hæreditas est restituenda piæ causæ substitutæ, arg. cap. Cum causa, de præbend. Communis cum Pirhing. loco citat. Reiffenstuel loco citat. num. 627. Abb. & Gloss. in cap. In præsentia 8. de probat. (Vid. num. 10. in fin.)
- 23 Fideicommissum regulariter loquendo vendi, pignori, aut hypothecari nequit, textu expresso in leg. finali §. Sed quia 2. Codice communia de legat. ibi: „Nemo itaque hæres ea, quæ pure sub certa die relicta sunt, vel quæ restitui aliis disposita sunt, vel substitutioni supposita, putet imposterum alienanda, vel pignoris, vel hypothecæ titulo assignanda; quia scilicet absurdum est, & irrationabile, rem, quam in suis
- „bonis pure non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypothecæ, pignorisque nomine obligare, vel alienam spem decipere“: Rota part. 5. tit. 1. decis. 408. num. 9. part. 11. decis. 310. num. 1. (Vid. sup. num. 14.) Limita tamen primo si alienatio est necessaria pro solutione debitorum testatoris, dummodo non alienentur immobilia, si pecunia, vel alia mobilia ad solvendum sufficientia adsint; Card. de Luca de Fideicom. disc. 161. num. 5. & 8. & in Summa n. 305. & 306. item disc. 162. num. 8. Tuschus lit. C. consil. 283. num. 19. Gloss. in leg. Filius familias §. Diu ff. de Legat. 1. & alii passim: Et ratio est, quia non intendit prohibere alienationem cum præjudicio creditorum; arg. leg. Creditoris arbitrio ff. de leg. falcid. Limita secundo, si alienatio est necessaria pro competenti dote; Authent. Res quæ Cod. communia de legat. Tuschus lit. F. consil. 284. n. 1. citans communem. Vel pro alimentis gravati, & suorum descendendum; Card. de Luca de Fideicommissis. disc. 170. & 171. Tusc. loc. cit. Vel pro liberatione possessoris ad hostibus, vel latronibus; Card. de Luca de fideicom. & in summa num. 254. Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 26. num. 618. & alii communiter. Limita tertio, si est necessaria distractio pro detractione competentis legitimæ, & trebellianicæ; Baldus leg. 4. consil. 163. num. 4. Parisius lib. 2. consil. 17. & 18. Reiffenstuel loc. cit. n. 617. Tusc. & alii communiter; & ratio est, quia distractio legitimæ, & trebellianicæ debetur de Jure: Novell. 18. cap. 1. Authent. Novissima Cod. de inoffic. Testam. leg. 33. Cod. de inoffic. Testament. §. Sed quia 7. Instit. de fideicommissis. hæred. cum Concordantiis, adeoque si non aliunde, quam vendendo haberi potest, vendi debet. Limita quarto, si distractio est utilis, uti fit in casu permutationis fideicommissi pro bono utiliori ipsi gravato, ac aliis substitutis; Card. de Luca disc. de Fideicom. disc. 157. num. 7. & 8. Reiffenstuel loc. cit. num. 519. & alii communiter. Cum enim in tali casu nulli fiat injuria, & damnum, sed commodum omnibus vocatis, & substitutis, præsumitur, adesse tacitus omnium consensus. Limita quinto, si alienentur res, quæ servari non possunt, dummodo pretium inde comparatum postea restituatur substitutis, ut applicetur in re immobili. Card. de Luca de fideicommissis. disc. 90. n. 9. & communi; aliorum. Limita sexto, si omnes vocati, & substitutis in quorum favorem fideicommissum factum est, ad alienationem consentiunt, textu expresso in leg. Quoties 11. ff. de fideicom. ibi: „Quoties ab omnibus, qui alienatione facta ad fideicommissum petitione adspirare possunt, venditio celebretur, aut quibusdam vendentibus alii consenserunt, contractus auctoritas convelli nequaquam potest.“
- (Quæ ex num. 24. nunc usque exponuntur, probationem merentur, si fuerint recognitæ, leg. 4. tit. 15. cum glos. 1. & 3. D. Greg. Lop. quest. 23. 4. tit. 29. cum glos. 1. part. 2. 10. tit. 26. part. 4. glos. 3. in fin. & lex 24. tit. 13. p. 5. Ad rem tit. 11. p. 6. Vid. lit. F pag. 3. ex num. 53. Doctrina, cujus fit mentio num. 27. & 29. videtur non substinenda, quia neminem latet, quod, licet dicta permutatio, & quævis alia alienatio in effectum possit perducere, observatur, locum prædictam doctrinam haud habere, nisi forma solita, scilicet informatione utilitatis præcedente, immediatque successoris citatione, Regium Cameræ Consilium auctoritatem suam interponat. Vid. remis. 2. tit. 7. lib. 5. Auth. Acord. Recop. Cast. Etiamque conducit lex. 18. tit. 16. p. 6.)
- ¶ Si qua in Jure materia occurrit summopere illustranda, hæc certe est de fideicommissis, quum vix condatur testamentum, in quo fideicommissum haud ordinetur: Sed quum sciam me intra limites additionum continere debere, materiam, ut vellem, illustrare nequeo, agam dumtaxat de fideicommissum hæredi præsentis injuncto, tum de fideicommissum conventionali, de quibus ceteroquin non omnes disserunt.
- Quod attinet ad fideicommissum hæredi præsentis injunctum, hoc inductum est Lege finali Cod. de fideicommissis; nullamque penitus requirit solemnitatem, sed debet à testatore præsentis hæredi injunctum. Inde namque tota hujus fideicommissi validitas dependet, quod

testator præsentis hæredis fideicommissis restitutionem hæreditatis, ut monstrat contextus, & illustrat Har-

33 preht. *de remed. lege final. Col. de fideicom. cap. 4. § 10.*
 34 & seq. Non igitur subsistit fideicommissum hoc, si hæres absens fuerit, ita ut ne valeat quidem schedula ad absentem missa, cum deficiat fundamentum hujus fideicommissi *privilegiati*; Idem Auctor *citato loco §. 13.*

35 Num ad validitatem hujus fideicommissi requiratur insuper promissio hæredis, non conveniunt inter se Doc-

36 tores. Negativa mihi opinio semper arrisit. Disponit enim hic Testator in vim mortis, & ita tota illa dispositio ex ejus debet dependere arbitrio, nec factum hæredis requiritur, alioquin dicendum foret, hæredem contradicere posse, & contradicentem minime obligari, quod tamen admitti nequit; Idem auctor *ubi supra §. 34.* Sicuti autem tota hujus fideicommissi substantia à fide hæredum dependet, ita tantum per solam confessionem hæredum constare de eo debet adeo ut si confessionem edere nolint, *necesse habent, vel sacramentum subire, & omni inquietudine se se relaxare, vel si recusandum existimaverint sacramentum, omni modo exactiōni fideicommissi subjacere*: sunt ipsa verba *legis finalis Col. de Fideicommiss. Ubi enim recusant subire juramentum, habentur pro confessis; confitentes autem absolute obligantur ad fideicommissum præstandum; Richter. dec. 62. num. 20. & seq.*

39 Adeo autem sola fides hæredum hoc sustinet fideicommissum, ut ne quidem sufficiat loco juris jurandi delati uti aliis probationibus, si fortassis duo adfuissent testes, quorum testimonio probari posset, defunctum præsentis hæredi fideicommissum injunxisse, quia ita fideicommissum dependeret à fide testium, non à fide hæredum; quoties autem à testium præsentia dependet fideicommissum, quinque ad minus esse debent, minimeque duo sufficiunt. Hæres vero, si delatum ipsi sit juramentum, non prohibetur conscientiam suam per alias probationes exonerare, veluti si probare absentiam possit, *Richter. dict. dec. 62. num. 25. Finckel. observ. 51. num. 7. 11. Haftenus de fideicommissis hæredi præsentis injuncto.*

42 Fideicommissum conventionale est illud, quod in actu inter vivos constituitur. Inductum est autem hoc fideicommissum moribus gentium.

44 An hoc fideicommissum conventionale esse possit universale, scilicet de tota hæreditate, vel parte ipsius, dubitatur, & non immerito. Sicuti enim hæreditas pactis dari nequit, ita quoque per modum fideicommissi pactitii haud transfertur. At apud plerasque gentes prævaluit opinio æstimativa; Strykus *in usu modern. Pandect. 26. tit. 1. §. 6. Herprecht. de fideicommissis. convention. §. 2. & ita quidem, ut nec requiratur confirmatio Superioris.*

46 Major dubitatio est, an fideicommissum hoc conventionale constitui possit in favorem tertii? De jure enim alteri per pactum alterius actio acquiri nequit. Sed & posse receptum est, Strykus *in usu modern. Pandect. dict. lib. 26. dict. tit. 1. §. 4.*

48 Inter omnes vero convenit, in hoc fideicommissis conventionali licet universali locum haud esse beneficio quartæ trebellianicæ. Beneficium enim quartæ fideicommissis condito in testamento in favorem hæredis inductum est; idque quia cum hic suo facto se haud obtrinxerit ad restituendum, sed ad hoc ex solius testatoris dispositione teneatur, merito ei ex bonis defuncti aliquid concedendum erat, quo eo promptius invitaretur ad adeundam hæreditatem, eamque restituendam. At hæ rationes applicari nequeunt ad conventionale fideicommissum, cum gravatus ex data fide obligetur ad restituendum, proptereaque minime oporteat per beneficia juris eum allicere ad implementum suæ obligationis. *Pirckm. consil. 1. num. 203. Herprecht. de fideicommissis. conventional. §. 41.*

FIDEJUSSIO, FIDEJUSSOR.

SUMMARIUM.

- 1 FIDEJUSSIO quid sit, & unde dicatur: quomodo fieri potest: qua sub obligatione: in judicio sisti an ingrediatur: qui possint fidejuberere, & prohibeantur, ad num. 19.
- 20 Quid teneatur solvere fidejussor, principali non solvente: ad quid obligatur: tempore certo signato, an dissolvatur accessoria obligatio, si tempus rectori prorogetur: an transeat ad hæredes: quomodo teneantur si plures intercesserint: excussio debitoris necessaria ad fidejussores reconveniendos: quando hujus beneficii non sit capax, ad num. 35.
- 36 Quibus casibus fidejussor liberationem à fidejussione petere valeat, ad num. 43.
- 44 Ad quid teneatur debitor pro solutis à fidejussore: fidejuberendo an possit aliquid recipi: an creditor alium in loco fidejussoris accipere compellatur: receptio, alter liberatur: quod si in solidum fuerint obligati: quas actiones acquirat qui totum solvit, ad n. 55.
- 56 Novæ additiones ex aliena manu, ad num. 79.

FIDEJUSSIO est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non solverit; Est in re communis, arg. *Instit. princ. de Fidejuss. & leg. Sicut 65. ff. eodem.* Fidejussor (sic dictus à fide, & jubeo, quasi fide sua jubens, ut alteri credatur, *leg. Creditor 60. §. 1. ff. Mandati, & leg. Ubi 75. §. Qui vero ff. de V. O.*) est is, qui alienam obligationem in se suscipit, seu fidem suam interponit de solvendo debito, casu, quo ipse illud non solverit; Est in re communis, arg. *Instit. princip. de fidejuss.* Fidejussio quavis verborum forma retinetur, & in scritis, immo inter absentes, & per epistolam fieri potest; *Engel lib. 3. decretal. tit. 22. num. 2. Reiffenstuel ibid. num. 11. & communis aliorum.* Fidejussor dari, & fidejussio constitui potest super quovis debito, vel obligatione quomodocumque contracta, textu expresso *leg. 1. ff. De fidejuss. & mandat. ibi: "Omni obligationi fidejussor accedere potest; leg. Græce 8. §. 1. ff. eodem, ibi: Præterea sciendum est, fidejussorem adhiberi omni obligationi posse, sive re, sive verbis, sive consensu; §. 1. Instit. de Fidejuss. ibi: Omnibus autem obligationibus adsumi potest, idest, sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu contrahatur, ac nec illud quidem interest, utrum civilis, an naturalis sit obligatio, qui adjicitur fidejussor."*

Potest quis de sistenda persona incarceranda fidejuberere, quam si non sistit, ipse fidejussor non incarceratur, sed punitur pœna pecuniaria, vel taxata à Jure, decreto, consuetudine, vel arbitraria Judicis, & quidem extraordinaria, si ex dolo fidejussoris exhibitus non est, vel aufugit, textu expresso *in leg. Si quis 4. ff. De fidejuss. ibi: "Si quis reum criminis, pro quo satisdedit, non exhibuerit, pœna pecuniaria plectitur: puto tamen, si dolo non exhibeat, etiam extra ordinem esse damnandum; sed si neque in cautione, neque in decreto Præsidis certa quantitas comprehensa est, ac nec consuetudo ostendit, quæ certam formam habet, Præses de modo pecuniæ, quæ inferri oporteat, statuet."* Fidejussor dari potest non solum pro præsentis, sed etiam pro futura obligatione; *Leg. Stipulatus 6. §. 2. ff. De fidejuss. ibi: Adhiberi autem fidejussor tam futuræ, quam præcedenti obligationi potest.*

Fidejuberere possunt omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent, & à lege non prohibentur; *Communis, leg. 3. ff. De fidejuss.* Prohibentur autem fidejuberere, *Primo, milites leg. 8. §. 1. ff. Qui satisfacere coguntur, & leg. Miles 31. Cod. de locato, ibi: Milites fidejussores fieri prohibemus.* Excipiuntur tamen milites veterani honeste à militia dimissi, quia ipsi cum non teneantur amplius armis occupari, & bello inter-

esse, possunt libere privata negotia, & commercia tractare, arg. leg. 1. Cod. de Veteranis. Secundo, fidejuberere prohibentur mulieres, leg. 1. ff. Ad SC. Vellejano ibi: *Vellejano senatus consulto plenissime comprehensum est, ne pro ullo fœminæ intercederent*, idest fidejuberent, & hæc prohibitio adeo strictè ligat mulieres, ut nec mater possit fidejuberere pro filiis, leg. Si cum Cod. SC. Vellejan. Nec filia pro parentibus, leg. Si paternum 8. Cod. eodem Nec uxor pro marito: leg. 1. Cod. Ne uxor pro marito. Tertio fidejuberere prohibentur ecclesiarum Prælati, & Clerici; Cap. Te quidam 39. caus. 11. quæst. 1. ibi: *Te quidem (Episcopum alloquitur Papa) oportet irreprehensibiliter vivere, & summo studio niti, omnes vitæ hujus occupationes obicias, ne fidejussor existas &c. & cap. 1. fidejuss. ibi: Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur, & concordat Novell. 123. cap. 6.* Limitatur tamen conclusio, si raro tantum in uno, vel altero casu fiat ex causa præsertim pietatis, vel charitatis, arg. cit. cap. Clericus 1. de fidejuss. ubi solum prohibetur, ne Clericus sit inserviens fidejussioni, quæ particula frequentiam denotat, Gloss. ibid. verb. Inserviens: Abbas, ibidem num. 1. cum communi aliorum. Clericus autem fidejuberens debet de patrimonialibus, vel quasi talibus, & non de ecclesiasticis satisfacere, nisi forsitan ex causa necessitatis, ac pietatis pro egeno, aut alia causa pia contingeret fidejussio; Abbas in cit. Cap. Clericus 1. de fidejuss. & alii passim, quia ecclesiam debitis gravare Clericus non potest, textu expresso in Cap. Quorumdam 2. de solutionibus, ibi: *»Firmiter inhihemus, ne quis præsumat ecclesiam sibi commissam pro alienis »gravare debitis.* Dicitur notantur *Nisi forsitan ex causa necessitatis, aut pietatis pro egeno, aut alia causa pia contingeret fidejussio*, quia cum in similibus casibus possit, immo subinde teneatur donare; arg. Cap. Gloria Episcopi 12. q. 2. juxta dicta verb. Beneficiatus art. 1. num. 35. & seq. multo magis poterit per fidejussionem interim obligare redditus ecclesiasticos etiam superfluos.

Item fidejuberere potest Clericus pro alio Clerico; Communis arg. cap. Pervenit 1. de fidejussionibus, ubi Papa fidejussionem Clerici pro Clericis factam non solum non improbat, sed mandat, ut à debitoribus eidem satisfiat, sicque tacite approbat. Item Clericus potest fidejuberere pro sua ecclesia; Communis, arg. Cap. Quod quibusdam 5. de Fidejus. leg. Cum Clericis 25. & leg. Omnes 33. §. 2. Cod. de Episcop., & Cleric. Clerici fidejussio facta nimis frequenter de bonis patrimonialibus, vel de illis ecclesiasticis redditibus ad ipsum pro honesta sustentatione plene spectantibus, quamvis sit illicita, est tamen valida, & Clericus tenetur ei stare, & in defectum principalis debitoris de præfatis bonis satisfacere; Gloss. in cit. Cap. Clericus 1. de fidejuss. Inserviens; Barbos. Ibid. in fine, ubi plures citat, Menoch. de præsumtion. lib. 2. præsumpt. 46. num. 5. Engel. lib. 3. decretal. tit. 22. n. 5. Reiffenstuel ibid. num. 33. Et ratio est, quia nullibi in Jure reperitur pro nulla declarata fidejussio Clerici secularis. Nec refert quod sit prohibita: Quia, ut expresse dicitur in Cap. Ad Apostolic. 16. de Regularibus: *Quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.*

Quarto fidejuberere prohibentur Religiosi omnes, non tantum privati, sed etiam superiores sine consensu majoris partis Capituli; de Religiosis privatis habetur tex-

tus expressus in Cap. Quod quibusdam 4. de Fidejuss. ibi: *»Quod quibusdam Religiosis à Sede Apostolica est »prohibitum, volumus, & mandamus ad universos extendi, ne quis videlicet Religiosus absque majoris partitis Capituli, & Abbatis sui licentia pro aliquo fidejuberere.* Idem est de Prælati, si debitas Juris solemnitates non adhibeant, per textum ex cap. In quorumdam 2. de solutionibus; Barbos. in cit. Cap. Quod quibusdam 4. de fidejuss. num. 5. Engel loc. cit. num. 6. Reiffenstuel loc. cit. n. 34. & communis aliorum: Religiosi enim omnes sive Prælati, sive subditi nihil proprii habent, de quo fidejuberere possint. Limitatur tamen conclusio in casu, quo Prælati pro modica quantitate, & raro fidejuberere, quia talis facultas ad liberam administrandi facultatem pertinet; Pirhing lib. decretal. tit. 22. num. 11. Reiffenstuel ibidem num. 35. Engel. ibidem n. 6. Silvester verb. Fidejussor quæst. 4. & alii passim. Immo etiam privatus Religiosus, qui beneficium cum potestate administrandi redditus habet, etiam tacitam licentiam, raro, & in modica quantitate fidejuberendi habere censetur; Pirhing loc. cit. num. 13. Reiffenstuel loc. cit. num. 35. & alii. Fidejussio à Prælato, vel privato Religioso contra Jura facta, non solum est illicita, sed etiam invalida. Nec obligat monasterium, & privat etiam Prælatum administratione, tam spiritualium, quam temporalium; Communis. Et quod talis fidejussio sit invalida, & monasterium, seu ecclesia ad nihil teneatur, habetur expresse ex Cap. In quorumdam 2. de solutionibus, ibi: *»Decernentes ad solutionem talium debitorum ecclesiam non teneri;* & cap. Quod quibusdam 4. de fidejus. ibi: *»Non tenentur conventus pro his aliquatenus respondere.* Et quod Prælati incurrat dictam pœnam privationis, patet ex cit. Cap. Quorumdam 2. de solutionibus, ibi: *»Si quis autem contra præmissa venire contemserit, ab administratione spiritualium, & temporalium noverit se suspensum.*

Fidejussor tenetur solvere totum id, quod debitor principalis tempore fidejussionis debebat, si hic non est solvendo, immo etiam usuras, si ita promisit, arg. l. Fidejussores 68. ff. De fidejussor. 10. Cod. eod. leg. Si mandato 8. cap. Quod cum eo, qui in alienat ibi: *»Et »sorti, & usuris te parere oportere, si te his omnibus »obligasti. Quod si fidejussor credito pecunia intercessisti, teneri te ex obligatione explorati juris est.* Fidejussor non obligatur ad plus, quam debitor principalis, textu expresso in leg. 8. §. 7. ff. De Fidejuss. ibi: *»Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, »quam debet is, pro quo obligantur: Nam eorum obligatio est accessoria principalis obligationis, nec plus »in accessione potest esse, quam in principali.* Nec fidejussor potest prius obligari, quam obligatus sit debitor principalis; textu expresso in leg. Fidejussor 57. ff. De fidejuss. ibi: *Fidejussor antequam reus debeat, conveniri non potest.* Si fidejussor ad certum duntaxat tempus fidejussit, & creditor tempus sine consensu fidejussoris prorogat debitori, ad nihil amplius tenetur fidejussor; Leg. Item quæritur 13. §. Qui impleto 11. ff. Locati. Et ratio est, quia ex Regula 85. juris in 6. Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, & sic Glossa in §. Si quid vers. Solverit Instit. de fidejuss. Layman. lib. 3. tr. 4. cap. 29. in fine; Reiffenstuel l. c. num. 43. & alii passim.

Fi-

Varii casus in nostro jure reperiuntur, in quibus non denegatur mulieribus fidejuberendi facultas: possunt enim ratione libertatis: dotis causa: si remedio legis per quam fidejuberere prohibentur, de illo certioratæ, spontè renuntiaverint: si pro fidejussione faciendâ, pecuniam receperint: propter dolum, se esse virum fingendo: cum prima facie alienam, revera suam obligationem suscipiant, aliterve in suum commodum reducatur: si fidejussione peracta, debitoris hæredes extiterint. (1)

(1) L. 3. tit. 12. part. 5. Muger digimos en la ley ante desta, que non puede entrar fiador por otri: pero razones ya porque lo podria facer. La primera es, quando fiase alguno por razon de libertad: si fiase á otri por razon de dote: quando la muger fuese sabidora, é cierta que non podia, nin debia entrar fiador, si después lo ficiese: renunciando de su grado, é desampa-

rando el derecho que la ley les otorga á las mugeres en esta razon: Si la muger recibiese precio por la fiadura que ficiese: quando la muger se vistiese vestiduras de varon engañosamente: quando la muger ficiese fiadura por su fecho mesmo: quando la muger entra fiador por alguno, é acaesciere despues deso, que ha de heredar los bienes de aquel que fió:

Fidejussor quantum est ex simplici fidejussione, non
 24 tenetur ad usuras, aut alias novas accedentes obligatio-
 nes, textu expresso in *leg. Fidejussores* 68. §. 1. ff. *De*
fidejussor. ibi: »Pro Aurelio Romulo conductore vecti-
 »galis centum annua Petronius, & alii fidejusserant,
 »bona Romuli fiscus obligata sibi occupaverat; & con-
 »veniebant fidejussores tam in sortem, quam in usu-
 »ras, qui deprecabantur, lecta subscriptione fidejussio-
 »nis, quoniam in sola centum annua se obligaverant,
 »non in omnem conductionem; decrevit fidejussores in
 »usuras non teneri.» Tenetur tamen ad ipsas, si spe-
 cialiter, vel universaliter ad has quoque se obligave-
 rit, textu expresso in *leg. Fidejussor* 10. *Cod. de fide-*
juss. ibi: »Fidejussor, seu mandator, si in usura quo-
 25 »que obligatus est, justam causam recusandi eas sol-
 »vere non habet;» & concordat *l. Quæro* 54. ff. *Locati.*
 26 Fidejussoris obligatio transit etiam ad ejus hæredes, tex-
 tu expresso in *leg. Fidejussoris* 24. *Cod. de Fidejuss.* ibi:
 »Fidejussoris quidem hæres exemplo fidejussoris tene-
 »tur;» & §. 2. *Institut. de fidejussoribus*, ibi: »Fide-
 »jussor non tantum ipse obligatur, sed hæredem re-
 »linquit obligatum; Communis.»

(Si inspexeris *leg. 1. 2. 3. 5. 6. & 13. tit. 18. lib. 3.*
For. Reg. & præcipuè leg. cum præmio 1. 2. 3. 6. 7. at-
 que 15. *tit. 12. part. 5.* animadvertes præcedentia con-
 firmata; & quamvis per *leg. 2. p.* nulla detur distinctio,
 absoluteque prohibeatur, Clericos esse fidejussores: ni-
 hilominus per *leg. 6. For. Reg.* si Archiepiscopi, Epis-
 copi, Prælatiis, Clericusve secularis fidejubent, bona
 ecclesiæ excluduntur, non vero patrimonialia eorum:
 sed Regularibus in totum prohibetur, itaut talis fide-
 jussio non subsistat. Verum enim vero per *legem* 45.
tit. 6. part. 1. Clerici in sacris ad fidejubendum non
 debent admitti, nisi inter ipsos, ecclesiarum suarum
 contractus, & pro pauperibus, & tunc substinebitur
 fidejussio in suorum bonorum præjudicium, non eccle-
 siæ, neque suarum personarum; *Vid. add. hisp. verb.*
 Tutor, *vers. Clericum:* Ad rem *verb. Parochus art. 2.*)

Si pluries sint fidejussores super eodem debito, te-
 27 nentur omnes in solidum, ita ut si reliqui solvendo non
 sint, ille solus, qui solvendo est, ad totum in solidum
 solvendum teneatur, textu expresso in §. Si plures sint
 4. *Instit. de Fidejuss.* ibi: »Si plures sint fidejussores
 »super eodem debito constituti, quotquot erunt nu-
 28 »mero, singuli in solidum tenentur.« Si tamen alii con-
 fidejussores etiam sint solvendo, non potest creditor
 convenire unum solum pro toto debito, & conventus
 potest excipere, & dicere ut singulos æqualiter pro suis
 partibus conveniat, pro ut expresse habetur ex epistola
 Divi Adriani Imperatoris in §. Si plures 4. *Instit. de fi-*
dejuss. ibi: »Ex epistola D. Adriani compellitur credi-
 »tor à singulis, qui modo solvendo sunt, litis con-
 »testatæ tempore partes petere.» Concordat *lex* Si con-
 tendat 28. ff. *eodem*, *lex* Non recte 3. *lex* Fidejussor
 10. *Cod. de Fidejuss.* ibi: »Is qui cum altero fidejussit
 »non solus conveniatur, sed dividatur actio inter eos,
 »qui solvendo sunt.» Si post factam legitime divisio-
 nem debiti inter confidejussores, aliqui fiant non sol-
 vendo, id accidit damno creditoris, qui sibi imputare
 debet, quod illos tempestive non excusserit, & con-
 29 venerit dum adhuc erant solvendo. Non enim debet
 hoc damnum imputari aliis confidejussoribus, qui se-
 mel liberati, non possunt inviti reduci in pristinam obli-
 gationem; *leg. Inter eos* 5. §. Cum inter ff. *de Fidejuss.*
leg. Liberum 16. *Cod. eodem*, *Zoesius ff. eodem tit. n. 28.*
Pirhing. l. cap. num. 21. in fine.

(Juxta *leg. 4. tit. 18. lib. 3. For. Reg.* doctrina in
 principio hujus numeri comprobationem merebatur, nam
 per eam omnes in solidum conveniri poterant; per *leg. 8.*
tit. 12. part. 5. discrimen notatur, aut in solidum obli-
 gantur, aut simpliciter, hoc in casu, nisi partem à
 quolibet petere non valet creditor, si omnes sint sol-
 vendo, è converso, pro non solventis parte ceteri te-
 nentur: in illo per *leg. 10.* determinatur, pluribus fide-
 jussoribus in solidum & principaliter obligatis, credito-
 rem non posse, cum omnes sint præsentis, & solven-
 do, unum convenire, nam quilibet ad suæ partis so-

lutionem compellendus: pro absentibus, & unde sol-
 vant non habentibus, à præsentibus totum exigatur;
 videtur illic disposita observantiam non retinere, cum
 inspiciatur tempore Regis DD. Henrici IV. DD. Elisa-
 bethæ fratris Æra 1496. esse quamdam legem 1. *tit. 16.*
lib. 5. Recop. Castel. publicatam, per quam (*Recognosce*
add. hisp. verb. Commodatum, in *add. ex aliena manu:*
 idem asserit *lex 2. tit. 13. lib. 5. Ord. Reg.*) stabilitur,
 duos simpliciter obligatos, pro dimidia quemlibet te-
 neri, nisi in solidum pactum intercesserit: verum, li-
 cet in utroque eadem sit ratio, hæc, ni fallor, de duo-
 bus reis promittendi loquitur, non autem de fidejusso-
 ribus, ut pote regnante DD. Alfonso XI. *leges part.*
(Vid. verb. Blasphemia) suum robur retinebant, & per
leg. 3. tit. 11. part. 5. erat decisum, sic conventos in
 dimidia teneri, per consequens in declarationem legis
 fori referenda dispositio text. in *leg. 1. tit. 16. lib. 5.*
Recop. Cast. Melius equidem responsum præbebitur, si
 attenditur occurrens dubitatio inter utrumque corpus
 legislativum, ut supra notatur, ideo necessaria fuit
 determinatio, ne imposterum difficultates orientur.)

Fidejussor regulariter conveniri non potest, nisi post-
 30 quam fuit conventus, & excussus debitor principalis, &
 inventus, quod ipse non sit solvendo, sive in totum,
 sive in partem, textu expresso in *Authen. Præsente*
Cod. de Fidejuss. ibi: »Præsente tamen utroque (scili-
 »cet debitore principali, & fidejussore) non convenit
 »intercessorem convenire, prius quam reus inventus
 »est minus idoneus, sive in totum, sive in partem;»
 Communis. Hoc tamen privilegio non gaudet fidejussor, 31
 si debitor principalis sit absens, & ipse sit præsens, nisi
 promittat sistere, seu afferre præsentem debitorem prin-
 cipalem intra certum tempus à Judice determinatum,
cit. Authen. Præsente Cod. de Fidejuss. ibi: »Absente
 »autem reo præsens intercessor jure quidem conveni-
 »tur, ipso tamen desiderante Judex definiet tempus,
 »intra quod deducat reum primum conveniendum, ip-
 »sum in subsidium reservando, nam transacto tempore
 »compellitur satisfacere, cessis à creditore actionibus.»
 Nec fidejussor gaudet tali privilegio, & beneficio, si 32
 notorie constet debitorem principalem non esse solven-
 do, quia tunc frustra fieret excussio; *Engel lib. 3. de-*
cretal. tit. 22. num. 6. *Pirhing. ibid. num. 21.* *Reiffenstuel*
ibid. num. 52. & alii passim. Nec fidejussor gaudet tali 33
 beneficio, si debitor sit difficilis conventionis, quia po-
 tens, injuriosus, & rixosus, ita ut difficiliter excuti
 possit; in tali enim casu æque incommodum est cre-
 ditori principalem debitorem convenire, ac in casu ab-
 sentiæ illius; (Fere cum antecedenti consonat *lex 9.*
tit. 12. p. 5.) *Gail. lib. 2. observ. 77. num. 21.* *Mising.*
cent. 2. observ. 15. *Pirhing. loc. cit. num. 21.* *Reiffenstuel*
loc. cit. num. 54. ex *Harnoldo* citante communem. Nec fi- 34
 dejussor gaudet tali beneficio excussionis, si ipsi ex-
 presse, vel tacite renunciavit; quod facere potest, quia
 tantum in favorem illius est concessum, *leg. pen. Cod.*
de pactis, ibi: »Est regula Juris antiqui omnes licen-
 »tiam habere his, quæ pro se introducta sunt, renun-
 »ciare.» Et in *ead. leg. penult. Cod. de pact.* sic etiam
 expresse habetur: »Pacta autem conventa, quæ neque
 »contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnino ob-
 »servanda sunt,» & concordat *Regul. 85. Juris in 6.*
 deducta supra *num. 23.* & sic tenet *Communis* cum *Mo-*
lina disp. 545. num. 12. *Engel. loc. citat. num. 10.* *Reif-*
fenstuel loc. cit. num. 56. *Pirhing. loc. cit. n. 21.* *Mising.*
loc. cit. Nec Fidejussor gaudet tali beneficio, si malitiose 35
 neget fidejussionem, & postea vincatur; *Com-*
munis cum *Barbos. in cap. Perveniet 2. Fidejuss. n. 6.*
Molina l. c. vers. Item Fidejussor. *Engel. loc. cit.* *Reif-*
fenstuel. l. c. num. 55. Et ratio est, quia mendacium au-
 fert privilegium; *leg. penult. Cod. contra jus, & utilita-*
tem, ibi: *Et si legibus consentaneum sacrum oraculum men-*
dax preceptor attulerit, careat penitus impetratis.

(Circa præcedentia *vid. leg. 15. tit. 12. p. 5.* *Vid. etiam*
verb. Pactum: non obliviscaris *leg. 3. ejusd. tit. & p. vers.*
 Quando la muger se vistiese: per quod denotatur, prop-
 ter mendacium esse privilegium ablatum. Ad rem multum
 conducunt *leg. num. 4. & 5. lit. B. pag. 301. insertæ.*)

- 36 Fidejussor in pluribus casibus potest petere liberationem à fidejussione, etiam antequam solvat; habetur expresse in *Cap. Eum pro quo* 5. *de fidejussoribus*, ubi Gregorius IX. enumerat tres his verbis: »Eum pro quo te fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona sua cœpit, seu super hoc condemnatus fuisti, jure poteris convenire, ut te à fidejussione debat liberare;» & concordat *l. Lucius* 38. *in fine ff. mandati*. Primus itaque casus, in quo fidejussor liberationem à fidejussione petere, eamque debitor præstare tenetur, est, si debitor diu negligit solvere, seu in culpabili mora solvendi diu fuit, *cit. Cap. Eum pro quo*, & *cit. leg. Lucius*: Pirhing. *loc. cit. num. 18*. Reiffenstuel *loc. cit. num. 66*. & alii communiter. Secundus casus est, si debitor principalis incipit esse prodigus, & dissipare bona sua, ita ut fidejussor sit in periculo, tunc enim petere potest à Judice, ut liberetur, etiam antequam solvat; *cit. cap. Eum pro quo*; & *cit. leg. Lucius*; Communis. Dummodo tamen tempore fidejussionis sciente fidejussore non cœperit debitor dilapidare bona sua, quia tunc fidejussor hoc periculum sponte in se suscepisse censeretur, ut recte docet Glossa communiter recepta in *leg. Si pro ea* 10. *Cod. mandati*, Pirhing. *loc. cit. num. 18*. Gallus *loc. cit. num. 9*. Reiffenstuel *loc. cit. num. 68*. *arg. leg. Si creditores ff. de privilegiis creditorum*, & *leg. Si Fidejussor* 7. *ff. Qui satisfacere cogantur*. Tertius casus est, si Fidejussor, ut pro debitor principali solvat, à Judice condemnatur, tunc enim illico, antequam solvat, agere potest adversus debitorem, ut eum fidejussorem liberet, ac indemnem servet; *cit. cap. Eum pro quo* & *cit. leg. Lucius*, & *leg. Fidejussor* 45. *ff. de fidejuss.* Quartus casus (ultra dictos tres contentos in *cit. cap. Eum pro quo*, & *cit. leg. Lucius*) est, si inter fidejussorem, & debitorem conventum sit, ut eveniente certa conditione, aut elapso certo tempore liberaretur Fidejussor; *arg. leg. penult. Cod. de pactis*, ubi expresse dicitur, *Pacta autem conventa, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnino observanda sunt*, & *Regul. 85. Juris in 6. ibi: Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur*; Communis. Quintus casus est, si fidejussor ex rationabili & justa causa verbi gratia negotiationis, officii, studiorum, & hujusmodi vellet peregre proficisci in longinquam regionem diu abfuturus, ideoque periculum immineret; Abbas in *cit. Cap. Eum pro quo* 5. *de fidejussoribus* n. 4. Barbos. *ibidem num. 16*. Pirhing. *loc. cit. num. 18*. Reiffenstuel. *loc. cit. num. 74*. *arg. leg. Filius familias* 8. §. *final. ff. de Procurat. l. Aut si* 9. & *leg. Aut longa* 23. *ff. eodem*. Sextus casus est, si inter debitorem, & fidejussorem graves, vel capitales exortæ sint inimicitia, dummodo non sint exortæ culpa fidejussoris, quia alias posset sic pro suo libitu se liberare à fidejussione, Barbos. *loc. cit. num. 14*. Pirhing. *loc. cit. num. 18*. Surd. *de aliment. tit. 1. q. 45. num. 73*. Reiffenstuel *loc. cit. num. 72*. *arg. leg. Filius familias* 8. §. *final. ff. de Procurat.*

(Si omnia verba, in quibus in hoc opere de vi, & efficacia conventionis tractatur, cum *leg. 1. tit. 11. lib. 1. For. Reg. tit. 11. p. 5.* & *verb. Pactum*, scrutatus fueris; eodemque tempore præscriptum in *leg. 7. tit. 18. lib. 3. For. Reg. & 14. tit. 12. p. 5.* animadvertas, quid diversum inter hoc, & doctrinam ab Auctore propositam fere non reperietur.)

- 44 Principalis debitor tenetur de jure fidejussorem relevare, eumque ab omni molestia indemnem conservare, ac eundem reintegrare de omnibus per eum solutis; Rota *part. 1. decis. 373. n. 2. in fine, part. 4. tom. 2. decis. 201. num. 1. cum seq. & n. 10. cum seq. part. 13. decis. 305. num. 1. cum seq. part. 17. decis. 310. num. 1. part. 17. tom. 1. decis. 43. n. 1. decis. 89. n. 8. part. 18. tom. 2. decis. 561. num. 1.* & sæpe alibi. Immo non solum tenetur conservare indemnem fidejussorem pro summa, pro qua fidejussit, sed etiam pro omni damno, & interesse passo ratione fidejussionis; Rota *part. 17. decis. 287. num. 7. part. 11. decis. 270. num. 1. part. 17. decis. 310. num. 1.* (Concordant *leg. 11. tit. 18. lib. 3. For. Reg. & 12. tit. 12. p. 5.* sed in ista aliqui casus referuntur qui exceptionem patiuntur, scilicet si solva-

tur à fidejussore animo donandi: propter ipsiusmet utilitatem, aut prohibente principali, & invito eam interposuit.) Fidejussor potest pacisci, & de jure aliquid recipere in compensationem periculi, quod subit in fidejubendo; Rota *part. 2. decis. 69. num. 3. part. 3. dec. 137. num. 3. part. 13. decis. 121. num. 8. & seq. & decis. 139. num. 9. & sequent.* Etiam si debitor existat idoneus, quia semper aliquod fidejussori imminet periculum, Rota *part. 13. decis. 121. num. 15. & decis. 539. num. 16. & seq.* Regulariter de stylo Mercatorum persolvuntur pro fidejussore duo in singula centenaria; Rota *part. 12. decis. 121. num. 5. & 17. & decis. 539. num. 6. & seq.* Creditor potest acceptare moderatum pretium, ut fidejussorem liberet à fidejussione periculosa, vel molesta, quam suscepit pro debitore; Molina, Sa, Roderic. Alloza cum La Croix *lib. 3. part. 2. num. 1107.* Creditor compelli non potest, ut habito uno fidejussore, admittat alium; sicuti compelli non potest, ut loco prioris hypothecæ admittat aliam, quia habet jus standi primo contractui; Roderic. *quest. 12. num. 25.* La Croix *loc. cit. num. 1107.* & alii. Si tamen Creditor admitterit alterum fidejussorem liberatur primus; Castropal. §. 2. *num. 5. & 6.* La Croix *loc. cit. n. 117.* & alii passim. Fidejussores plures, quando sunt omnes in solidum obligati, sicuti respectu debitoris principalis sunt Confidejussores, ita alter alteri ad invicem sunt etiam fidejussores pro rata, & ratione solidi alter pro altero tenetur, & conveniri potest; Rota *part. 5. tom. 2. decis. 487. num. 1. 2. & 3.* Ac ideo, si alter ex Confidejussoribus in solidum obligatis solvit Creditori principali, potest repetere totam partem adversus alios Confidejussores; Rota *part. 1. decis. 362. num. 5. & sequent. part. 3. decis. 350. n. 1. part. 5. tom. 2. decis. 487. n. 8. & seq. & decis. 617. num. 1. & sequent. part. 16. decis. 135. num. 14. & sequent. part. 17. decis. 330. n. 1. cum sequent.* Quilibet tamen Confidejussor, pro eo, quod solvit, habet actionem mandati contra principalem debitorem; *l. Si remunerandi* 6. §. 2. *ff. mandati*, & §. 6. *Institut. de Fidejuss.* ibi: *Siquidem autem fidejussor pro reo solverit, ejus recuperandi causa habet cum eo mandati judicium*; Rota *part. 7. tom. 2. decis. 386. n. 23. part. 6. dec. 222. num. 9. & seq.* Insuper habet etiam fidejussor actionem negotiorum gestorum adversus principalem debitorem ad repetendum id, quod solvit, & indemnitate consequendam; *leg. Sed videamus* 4. *ff. de negotiis gestis*; Rota *part. 6. decis. 122. num. 10. & seq. part. 10. decis. 232. num. 13.* Fidejussor enim solvendo non suum gerit, sed principalis debitoris negotium; Rota *part. 5. decis. 487. num. 5.* (*Vid. sup. num. 27. Videatur lex 11. tit. 12. p. 5.*)

Inter eos qui fidejubere prohibiti sunt refert Auctor num. 20. & Clericos, eosque fidejubere prohibitos esse contendit tam Jure civili in *Novella 123. cap. 6.* quam jure canonico in *can. 29. caus. 11. q. 1. & in c. 1. de Fidejussor.* Censet tamen num. 16. quod facta à Clerico fidejussio illicita, non item irrita sit. At si revera prohibiti fuissent Clerici fidejubere, irrita quoque esset fidejussio, nam in *Novella 123. cap. 6.* quæ hanc in rem allegatur; habetur: *Quod contra fidejussores Clericos nulla sit danda actio*: & ita quoque sentiunt Brunemann. *Jur. Eccles. univers. lib. 2. cap. 15. §. 32.* Stryk. in *us. modern. Pandect. lib. 46. tit. 1. §. 3.* Lauterb. ad *tit. de fidejuss.* §. 13. Cyriac. *controv. forens. 212. num. 9. & seq.* Hering. *de fidejussor. cap. 7. num. 239. & seq.*

Meo autem judicio, nec Jure civili, nec Jure canonico prohibiti in universum sunt Clerici fidejubere. Quod enim attinet ad jus civile, *Novell. 123. cap. 6.* non omnem Clericorum, sed illam tantum prohibet fidejussionem, quæ pro exactioibus fiscalium sanctionum, aut conductione publicarum & alienarum possessionum, aut curatione domus, aut procuratione litis suscipitur; idque quia quum administratio negotiorum secularium Clericis sit interdicta, congruum visum fuit Justiniano irritam declarare fidejussionem illam, quam Clerici suscipiunt pro memoratis causis, ne per indirectum obligentur ex his causis, ex quibus obligari nequeunt. Si itaque in *novella hac* adest exceptio, Regula in con-

trarium formanda est, quod Clerici ex fidejussionibus obligari queunt. Solet & allegari *Novella 86. Leonis.* At ea prohibentur Clericis sponsiones, quæ sane fidejussiones haud sunt.

63 Nec jus canonicum fidejussiones Clericorum prohibuit. Affertur primo loco Canon. Apostol. 19. quem alii 20. dicunt. At Canones apostolicos *sublestæ fidei* esse, nec ullum inde idoneum argumentum strui posse, noto hodie notius est. *Canon. 29. caus. 11. q. 1.* desumptus est ex quisquiliis *Isidori.* Accedit quod in eo inter alias qualitates, quæ in Episcopo desiderantur, hæc quoque ponitur: *Ne fidejussor existat.* At hinc, ut nemo non videt, erui nequit generalis prohibitio omnibus Clericis facta ne fidejubeant. Restat ut disseramus de *Cap. 1. de fidejussor.* ubi legitur; *Clericus Fidejussionibus inserviens abjiciatur:* Desumptus dicitur textus ex *Concilio Cantuariensi*, ut indicat rubrica. At secundum nonnullos interpretes referre videtur Canonem 19. vel 20. Apostolicum. Quidquid autem hujus rei sit, de Clerico fidejubente vix videtur loqui. Lectio adhuc dubia est. Alii enim legunt *Fidejussoribus inserviens.* Alii *Fidejussionibus inserviens;* *Fith. in not. ad dict. cap. 1.* At ultra lectio amplectatur; sermo est de iis Clericis, qui fidejussione procurant, conciliant, & instat proxenetarum sunt: *Bohemer. in Decretal. lib. 3. tit. 22. §. 10.* Proxima quoque est interpretatio *Granariet. in dict. Cap. sub num. 4. Verius* (sunt ipsissima verba) *dicendum est ideo in specie nostri textus fidejussionem Clericis fuisse prohibitam, non ex eo, quod ipsi fidejussores esse non possunt, sed ex eo, quod principaliter spelucris fidejussores se præbebant, & sic quasi fidejussionibus inservientes, seu debitorum Proxenetae, quod illicitum Clericis & animadversione dignum erat, idco justa de causa tam gravi pœna puniebantur, quæ interpretatio deducitur ex verbis illius textus, ibi: Fidejussionibus inserviens; quod idem est ac si textus diceret: Fidejussionibus pro lucro se offerens: Eademque fuit interpretatio *Moral. in Emtor. Jur. tit. 8. q. 25. num. 34.* Quod si etiam standum sit interpretationi *Granariet. & Moral. patet, non regulam, sed exceptionem tradi, adeoque male regulam ab exceptione peti.**

74 Visum est, quod nec Jure civili, nec Jure canonico prohibiti sunt Clerici fidejubere. At si rem ex vero æstimare velimus. Jus canonicum potius fidejussiones Clericorum obligatorias supponit. Expresse enim *in c. 2. de Fidejussor.* supponitur Clericos fidejussores coactos fuisse ad solvendum debitum fidejussorium, nec tamen Pontifex revocavit eam sententiam, prout sane revocasset, si fidejussio eorum irrita fuisset. Idque ipsum supponitur *in c. 3. eod. tit.* Non ignoro plures reponere solere ideo huic fidejussioni robur adscritum fuisse, quod Clericus pro Clerico intercesserat. At se fundat hæc interpretatio in erroneo illo principio, quod generatim fidejussio Clericorum omni juris vinculo sit destituta, id quod tamen de Jure canonico, ut recognitum est, demonstrari nullo pacto potest. (*Vid. n. 26.*)

78 De fidejussore in criminalibus plures occurrunt quæstiones, æque in foro frequentes. At de iis vide, ubi res postulat, *Stryk. in us. modern. Pandect. lib. 46. tit. 18. & plur. seq.* (De his, quæ supra num. 5. referuntur, leges *9. tit. 18. lib. 3. For. Reg. 37. tit. 11. 17. 18. & 19. ejusd. tit. 12. & p. 5. cum 3. tit. 10. lib. 5. Ord. Reg. atque 10. tit. 16. lib. 5. Recop. Cast.* recognoscantur: nam, præterquam quod Auctoris assertum comprobatur, alia multa in idem objectum decernuntur, quorum notitia nobis ignota esse non debet. Non parum proderit *glos. D. Gregorii Lopez* simul advertere.)

- 7 An fides Patrum V. T. eadem fuerit ac nostra, ad n. 8.
- 9 Fides divina quomodo à Theologis spectetur, & quanta sit ejusdem necessitas, ad num. 10.
- 11 An fides explicita de existentia Dei ac ejus præcipuis attributis sit necessaria ad salutem necessitate medii.
- 12 An autem mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C. sit explicite credendum necessitate medii, ad num. 18.
- 19 Quid fideles omnes ad usum rationis perducti teneantur sub mortali necessitate præcepti explicite credere, & saltem quoad substantiam scire.
- 20 An sufficiat fides ex testimonio humano, aut simili naturali motivo.
- 21 An & quando fideles obligentur ad eliciendos actus fidei internos, ad num. 27.
- 28 An ullo unquam casu liceat fidem negare externe, ad num. 32.
- 33 An possit licite fides fugiendo, vel alia quadam ratione occultari, ad num. 36.
- 37 Quid permissum vetitumve sit laicis circa disputationes de fide, ad num. 42.
- 43 Quid sint Orthodoxi & qui Heterodoxi, & quæ sit fides mortua, & quæ fides viva, ad num. 44.
- 45 An in damnatis, ac animabus purgatorii adsit fides divina.
- 46 Fidei divinæ mysteria quomodo sint exploranda ac credenda.
- 47 Subjunguntur alia ad rem spectantia, ad num. 60.
- 61 Accedit appendix, sive novus de fide Articulus ex aliena manu, ad num. 76.

FIDEI vocabulum generatim acceptum varias in Jure habet significationes, quas refert Glossa ad Rubricam de Summa Trinitate, & Fide Catholica, verb. *Fides*, & alia Gloss. in c. *Moyet 22. quest. 1. verb.* Neque: : Quandoquidem enim fides sumitur pro fidelitate, seu securitate in servandis promissis, ut in c. *Noli 23. q. 1. ibi: Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, quanto magis amico?* Quod sensu videtur intelligendum illud ad Rom. 3. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* Idest fidelitatem, & veracitatem in promissis. Interdum pro fidelitate seu castitate tori, prout est unum ex tribus bonis matrimonii; ut in c. *Omne 27. q. 2.* Aliquando pro fidei Sacramento, sive pro Baptismo, ut in c. *Nihil est aliud, de consecrat. dist. 4.* Nonnumquam pro ipsamet promissione, ut in c. *1. de sponsa duorum, & §. Venditæ. Instit. de rerum div. ibi: Si is, qui vendit, fidem (hoc est promissionem) emtoris prosequutus fuerit, & sic accipitur fides 1. ad Timoth. c. 5. dum dicitur: Juniores viduæ primam fidem irritam fecerunt, idest voti promissionem non impleverunt.* Item pro fiducia consequendi rem desideratam, aut promissam, ut *Matth. 14. ibi: Modicæ fidei quare dubitasti?* & *Jacobi c. 1. ibi: Postulet in fide nihil hæsitans.* Sumitur etiam pro conscientia, seu dictamine ipsius, ut *Rom. 14. & c. ult. de præscrit. ibi: Quoniam omne quod non est ex fide (idest secundum dictamen conscientie) peccatum est, & in hoc sensu dicitur quis Possessor bonæ fidei, vel malæ fidei, juxta quod possidet rem ut suam, cum dictamine, seu credulitate conscientie quod sit sua, vel quod non sit sua.* Item sumitur pro æquitate in contractibus considerata, qua ratione actiones quædam dicuntur esse bonæ fidei, & aliæ stricti juris, §. *Actionum autem, Instit. de actionibus.* Item fides sumitur pro Jure, & fama, quam quis habet, ut ei credatur, quo sensu illud *Ecclesiast. 27. Qui denudat arcana amici, fidem perdit.*

Insuper & magis ad propositum fides accipitur pro credulitate, seu assensu intellectus, qui adhibetur alicui aliquid affirmanti, seu dicenti, quod non videtur, propter ejus auctoritatem; quo sensu dicitur probis adhibendam esse fidem; & quidem auctoritas hæc si sit hominis, dicitur *Fides humana*, si Dei, *Fides Divina.* Unde, ut habetur *in c. In Domo 11. dist. 4. de pœnit. fides est de se non visa, & unde est meritum fidei.* Tandem fidei nomen accipitur pro collectione articulorum fidei divina credendorum, sive pro objecto materiali ipsius;

FIDES.

SUMMARIUM.

1 FIDEI vocabulum in jure & in S. Scriptura quot habeat acceptiones, ad num. 3.

4 Quæ sit fidei divinæ definitio, & essentia, & quomodo hujusmodi fides alias appelletur, ad num. 6.

juxta illud Symboli D. Athanasii: *Hæc est fides catholica*, & c. Hæc est fides 24. q. 1. ibi: *Hæc est fides, quam in ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus*, & distinctissime habetur in c. *Firmiter credimus* 1. de Summa Trinitate, & fide catholica. Hæc fides definitur ab Apostolo ad Hebræos 11. his verbis: *Est autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* (Leg. 3. tit. 12. part. 2.) Hac fide fidelis credit Deum, credit in Deum, & credit Deo. Credere Deum est credere ipsum esse; credere in Deum, est credendo Deum amare, & amando in eum ire, ac membris ejus incorporari: credere autem Deo, est credere verbis ejus; Monacell. part. 2. tit. 16. formul. 3. num. 26. Hæc fides vocatur *catholica*, idest *Universalis*, quia per prædicationem evangelicam toto Orbe terrarum longe, lateque diffusa existit, juxta illud propheticum Psalm. 18. ibi: *In omnem terram exivit sonus eorum*, & *in fines Orbis terræ verba eorum*, & illud Christi Domini Marc. cap. ult. ibi: *Euntes in mundum universum prædicare evangelium omni Creaturæ*, & Actor. cap. 1. ibi: *Eritis mhi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Insuper est universalis etiam quoad tempus, nam numquam deficiet, sed semper durabit usque ad finem mundi, non obstantibus quibuscumque persecutionibus, sicut & ipsa Sancta Ecclesia Catholica juxta infallibilem Christi Domini promissionem Matth. 26. D. Petro factam, ibi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*, & aliam itidem infallibilem promissionem ab ipso factam, Matth. 28. ibi: *Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, cum aliis similibus. Item fides hujusmodi dicitur Orthodoxa juxta num. 43.

7 Eadem fides fuit Patrum Veteris Testamenti, & nostra; *Est communis inter Catholicos*, & expresse tradit D. Augustinus epist. 257. ad Optatum, ibi: *Unius mediatoris Dei, & hominum Jesu Christi saluberrima fide etiam illi justi salvi facti sunt, qui priusquam veniret in carne crediderunt in carne venturum: Eadem fides est & illorum, & nostra*; & in tract. 45. in Joan. 9. sic expresse dicit: *Ante Adventum Domini nostri Jesu Christi, qui humilis venit in carne, præcesserunt justi, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides, quia & ipsa pro tempore variantur, cum varie declinantur, alium sonum habet, Venturus est, alium sonum habet, Venit. Mutatus est sonus Venturus est, & Venit, eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos, qui Venturum esse, & eos, qui eum Venisse crediderunt, diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum fidei ostium, hoc est per Christum videmus ingressos.* Et ad hoc propositum adducit Apostol. 2. ad Corinth. 4. dicentem: *Habentes eundem spiritum fidei.* Et facit ad hoc id quod idem Apostolus scribit ad Hebræos cap. 11. ibi: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti* (scilicet Patres antiqui Testamenti) *non acceptis repromissionem, sed à longe eas aspicientes*, ex quo patet, quod licet à longe aspicientes, & solum implicite multa crediderint de Christo venturo, nondum acceptis repromissionibus; realiter tamen quoad substantiam juxta fidem nostram defuncti sunt omnes isti, & sic una, & eadem fides fuit Patrum Veteris Testamenti, & nostra.

8 Non valet objicere, quod multa nunc sint credenda de fide, quæ prius de fide non erant, adeoque mutata sit fides. Non valet, inquam, quia aliud est dicere quod multa prius non erant tenenda de fide, quoad nos, cum nondum fuissent ab ecclesia ut talia declarata, & nobis proposita; & aliud est dicere quod multa prius non erant de fide quoad se. Quamvis enim prius non obligaremur ad multa credenda de fide explicite, ad quæ nunc post definitionem ecclesiæ obligamur; nihilominus, tamen jam in se, & quoad se prout de fide, æque ac nunc sint, & quoad fidem in hoc sensu acceptam nulla facta est mutatio, nec unquam fiet per quamcumque declarationem ecclesiæ, ex quo immutabiliter idem semper fuerit, sit, & semper erit objectum fidei, ejusque articulorum quoad substantiam; & mutatio solum

facta est quantum ad majorem ipsorum explicationem, & obligationem expresse profitendi, & credendi explicite illos articulos, qui solum ante credebantur implicite, utpote contenti in aliis credibilibus, sive articulis fidei. Unde fides quoad substantiam, & quoad se numquam mutatur, neque creverunt successu temporis ejus articuli in hoc sensu, sed solum quoad nos; nempe quoad nobis impositam obligationem credendi multos articulos explicite, qui prius credebantur implicite; Ita S. Th. 2. 2. q. 2. art. 9. & 10. S. Bonav. in 3. dist. 25. art. 2. q. 2. S. August. in Ps. 50. circa fin. & serm. 7. de Sanctis, & l. 1. Retract. cap. 13. S. Leo serm. 3. cap. de Nativit. & communis aliorum.

Fides divina spectatur secundum habitum, & secundum actum. Fides habitualis à Theologis dicitur virtus, principium, & qualitas quædam supernaturalis, qua elevamur, & inclinamur ad credendum Deo, & illis, quæ nobis divinitus revelantur propter summam, & infallibilem ipsius supræmi Revelantis auctoritatem. Fides actualis sunt actus, seu assensus ex illa virtute procedentes, quibus firmiter Deo revelanti, ac revelatis assentimur, unde Fides secundum habitum dicitur una, juxta illud Apostol. ad Ephes. 4. *Unus Deus, una Fides*; Secundum actum vero est multiplex; videlicet multi sunt actus fidei, seu actus credendi: quandoque enim actus fidei elicitur circa unum articulum, quandoque circa alium, quandoque circa omnes.

Fides non solum habitualis, sed & actualis, seu accepta pro ipso actu credendi aliquod superhaturale objectum, fuit, est, & erit omnibus usum rationis habentibus pro quocumque statu necessaria necessitate medii ad salutem; Comm. & patet expresse ex Apost. ad Hebræos 11. ibi: *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum; quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, quæ verba communiter à Doctoribus intelliguntur non solum de fide habituali, quam solam suscipiunt parvuli in Sacramento Baptismi, sed etiam de fide actuali quorundam mysteriorum, quandoque ab Adultis habenda. Unde merito ab Innocentio XI. die 2. Mart. 1679. fuit damnata sequens propositio inter alias ordine 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundum se.* Fides explicita de existentia veri Dei, & quod is sit justus Remunerator decernens præmia justis, & improbis supplicia, omnibus adultis usum rationis habentibus est necessaria ad salutem necessitate medii: Comm. & desumitur ex citatis verbis Apost. ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est &c.* & expresse habetur ex propositione 22. inter damnatas ab Innocent. XI. de qua supra: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* An autem i. *Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi sit explicite credendum necessitate medii, variæ sunt Doctorum sententiæ.*

Prima sententia docet, fidem explicitam SS. Trinitatis, & Incarnationis post promulgationem evangelii esse necessariam necessitate medii ad justificationem, & salutem æternam; Ita S. Thom. in 3. disp. 25. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2. S. Bonaventura ib. art. 2. q. 3. Durand. ib. q. 1. num. 9. Gabriel ib. art. 2. concl. 3. Molina 1. part. q. 1. art. 1. dict. 2. Valent. 2. 2. d. 1. q. 2. pun. 4. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 2. num. 8. & seq. Granada contro. 1. de fide tract. 10. disp. 2. sect. 2. num. 13. Felix Potestas tom. 1. num. 275. Mastrius, Sannig. Filiucius, Basseus, & quamplurimi. Secunda sententia docet, fidem explicitam SS. Trinitatis, & Incarnationis etiam post promulgationem evangelii non esse simpliciter necessariam necessitate medii ad justificationem, & salutem æternam; Ita Sotus in 4. d. 5. q. 2. art. 2. Vega lib. 3. in Trid. cap. 19. & 20. Medina lib. 4. de reſta in Deum fide, cap. 10. Corduba in questionario lib. 2. q. 5. Sa, verb. Fides, Castropal. tom. 1. tract. 1. d. 1. punct. 9. num. 7. Hurtad. de fide d. 8. diss. 7. Azorius tom. 5. l. 8. cap. 6. q. 0. & plures alii. Tertia sententia docet, talem fidem explicitam esse necessariam necessitate medii, non ad justificationem, sed ad glorificationem; Ita Canus de Sacramentis in genere part. 2. Ledesma in 2. p. q. 9.

art. 2. Castro l. de lege pœnit. cap. 14. Bannes 2. q. 2.
 16 art. 8. dub. ultimo & alii. Quarta sententia docet, fidem explicitam horum mysteriorum esse per se necessariam necessitate mediæ ad justificationem, & salutem æternam; per accidens autem, scilicet ratione ignorantie invincibilis, sufficere fidem explicitam eorum in voto; sicut enim Baptismus est necessarius necessitate mediæ in re, vel in voto, ita fides explicita eorum mysteriorum est necessaria in re, vel in voto; Ita Suarez, disp. 12. de fide sect. 4. num. 11. Lugo Card. disput. 12. de fide sect. 4. à num. 88. Leander part. 6. tract. 2. q. 8. & probabilius Viva ad proposition. 65. Innocent. XI. num. 10. & alii.

17 Ex supradictis sententiis prima tamquam probabilior est tenenda; Colligitur ex Symbolo S. Athanasii; ibi: „Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, „ut teneat catholicam fidem....fides autem catholica hæc „est. ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in „Unitate veneremur....Sed necessarium est ad æternam „salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Je- „su Christi fideliter credat.” Et ratio est, quia hæc duo mysteria sunt fundamentum totius nostræ salutis, nam in nomine SS. Trinitatis confertur Baptismus, sine quo nemo potest salvari. Per Christum vero sumus redempti, atque salvati, ipseque simul est verus Deus, ve-
 18 rique Dei filius, per quem creati sumus. Nec valet ob- jicere, quod, data nostra conclusione, sequeretur, quod Gentilis, qui ignorantia invincibili horum mysteriorum laboraret, & simul observasset præcepta naturæ, ac Deum ex toto corde diligeret, salvari non posset, ex quo non crederet explicite hæc mysteria, quæ ignora- ret; Hoc autem nullimode est dicendum. Non valet, inquam, sic objicere, quia, si quis Gentilis, vel alius à pueritia enutritus in sylvis invincibiliter ignoraret hæc mysteria, utpote numquam sibi proposita, servasset legem naturæ, & numquam mortaliter peccasset, divina providentia provideret, ut vel speciali lumine supernaturali interius illustraretur, vel ut ab aliquo alio hæc fidei mysteria eidem proponerentur, ut ea explicite cre- dere posset, prout in simili factum legitur Eunucho Re- ginæ Candacis Actorum cap. 18. & Cornelio Centurioni Actorum cap. 10. Sic S. Thomas de veritate q. 14. art. 11. ad 1. Scotus in prologo q. 1. cum suis.

19 Omnes fideles postquam ad usum rationis pervene- rint, tenentur sub mortali necessitate præcepti expli- cite credere, & saltem quoad substantiam, seu cras- so modo scire mysteria contenta in symbolo Apostolorum, Orationem Dominicam, Præcepta decalogi, Sa- cramenta maxime necessaria, ut Baptismus, Eucha- ristiam, & Pœnitentiam. Reliqua vero tunc, quando volunt suscipere, Communis; Unde merito ab Innocen- tio XI. die 2. Martii 1679. fuit damnata sequens por- positio ordine 64. Absolutionis capax est homo, quam- tumvis labore ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationem Domini nostri Jesu
 20 Christi. Non sufficit fides ex testimonio humano, aut simili naturali motivo, quia Fides ad salutem super- naturalem necessaria, & quæ est radix nostræ justi- ficationis ex Tridentino sess. 6. c. 8. ibi: *Fides est hu- manæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis jus- tificationis*, est fides stricta supernaturalis innixa tes- timonio divino, & nequit haberi ex puris naturalibus; quidquid olim contradixerint Pelagiani, & Semipela- giani hæretici. Immo meritum fidei consistit in hoc, quod independentè à naturalibus rationibus revelata credimus præcise, quia revelavit Deus, qui est infal- libilis veritas. Hinc justissime fuerunt proscritæ ab In- nocentio XI. die, & anno citatis sequentes propositio- nes, scilicet 19. in ordine, ibi: *Voluntas non potest ef- ficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*, 20., ibi: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habet supernaturalem*; & 21. ibi: *Assensus fidei super- naturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus*; & 23. ibi: *Fides la-*

te dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

Omnes fideles, postquam ad usum rationis perve- 21 nerint, obligantur præcepto divino ad eliciendum quam- doque actum internum fidei; Communis, & colligitur ex publicis Sacræ Scripturæ textibus, & signanter ex cap. 16. Marci, ibi: *Euntes in mundum universum præ- dicare evangelium omni creaturæ; qui crediderit, & bap- tizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, con- demnabitur*; ex cap. 1. ad Romanos, ibi: *Iustus autem ex fide vivit*, & cap. 4. ad Galatas, ibi: *Ex fide justifi- cat gentes Deus*, ex cap. 11. ad Hebræos, ibi: *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet, &c.* Unde rectissime Alexander VII. die 24. Septembris 1665. damnavit sequentem propositionem primam in ordine, ibi: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, Spei, & Caritatis ex vi præceptorum di- vinorum ad eas virtutes pertinentium*. Non sufficit au- 22 tem actum fidei tantummodo semel in vita elicere; Com- munis. Unde merito Innocentius XI. die, & anno ci- tatis damnavit sequentem propositionem in ordine 17., ibi: *Satis est actum fidei semel in vita elicere*; & hanc aliam in ordine 65., ibi: *Sufficit illa mysteria (scilicet Trinitatis & Incarnationis) semel credidisse*.

Ad eliciendum actum fidei tenetur quilibet rationis 23 capax, cum primitus ei sufficienter fides proponitur; communis, & colligitur ex cap. 16. Marci, ibi: *Eun- tes in mundum universum prædicare evangelium omni Creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. Hinc in- fideles adulti non excusantur amplius ab infidelitate, cum mysteria fidei ita illis credibilia proponantur, ut recta ratio eis dicet nostram fidem esse veram, & contrariam sectam esse falsam. Unde Innocentius XI. die, & anno citatis juste damnavit sequentem propo- sitionem in ordine 4., ibi: *Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili*. Item ad eliciendum actum fidei tenetur quisque cum 24 graviter tentatur interius contra fidem; tunc enim tem- pus est resistendi contrariis actibus fidei, ut ex 1. Pe- tri cap. 5., ibi: *Cui (diabolo) resistite fortes in fide*. Item ad eliciendum actum fidei internum tenemur, quan- 25 do urget præceptum confitendi fidem exterius; hanc enim debite, ac veraciter confiteri non possumus, ni- si interior fidei assensus accedat; Herincx disput. 7. de fide q. 6. num. 77. Bassæus verb. Fides 1. num. 16. Sanchez lib. 2. in decalog. cap. 1. num. 2., & seq. & alii passim. Item tenemur elicere actum fidei per accidens, 26 quoties urget præceptum alicujus virtutis exercendæ, quam sine fide non possumus exercere, & sic elicien- dus est actus fidei saltem implicitus, quoties elicien- dus est actus Spei, aut Charitatis, unde S. Augusti- nus cap. 7. Enchir. sic habet: *Fides credit, Spes, & Charitas orant, sed sine fide esse non possunt*; quia nisi quis Deum credat, in Deum sperare, aut diligere non potest. Item tenemur sæpius, & frequenter in vitæ de- 27 cursu actus fidei elicere. Huic autem obligationi satis- facimus per actus fidei, qui concurrunt in exercitio aliorum actuum bonorum, v. g. Spei, Charitatis Dei, Pœnitentiæ, Orationis, Recitationis symboli, Forma- tionis signi Crucis, Auditionis Missæ, & hujusmodi; Sanning. dist. 1. de fide q. 21. num. 3. Herincx disp. 7. de fide q. 6. num. 76. Reiffenstuel trat. 4. de virtutibus Theologicis dist. 2. r. 3. num. 34. & 35. La Croix lib. 2. num. 51. & alii communiter.

Nullò unquam casu, adeoque nec mortis vitandæ 28 causa licet fidem negare externe; Est de fide, & com- munis inter Catholicos, atque in Concilio Romano sub Cornelio Papa definita contra hæresim Elcesiatarum, & contra Gnosticos, & Priscillianistas, qui dicebant, posse instante persecutione negari fidem exterius, dum- modo servaretur interius; teste enim Baronio ad an- num 254. fuit in dicto Concilio damnata tamquam hæ- retica sequens propositio: *Licitum est exterius fidem ne- gare instante persecutione, & sufficit eam in animo suo interius retinere*. Et veritas nostræ conclusionis habetur expresse ex verbis Christi Matth. 10., ibi: *Qui nega-*

- verit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Idem habetur Marci 8. & idem dicit Apostolus 2. ad Timoth. cap. 2., ibi, Si negaverimus eum, & ille negabit nos, & patet ex gloriosis exemplis tot millium SS. Martyrum, qui mori maluerunt, quam fidem
- 29 exterius negare. Immo nedum nullo unquam casu licet fidem negare externe, sed insuper tenemur de præcepto aliquando eam externe profiteri; Communis, & patet ex verbis Christi Matth. 19., ibi: Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & Lucæ 9., Qui me erubuerit,
- 30 & meos sermones, hunc filius hominis erubescet. Dicitur autem notanter aliquando, quia duplex est præceptum confessionis seu professionis externæ fidei, scilicet præceptum negativum de non negando fidem externe quod obligat semper, & pro semper, cum numquam liceat fidem exterius negare, quamvis retineatur corde, & interius; & præceptum affirmativum de confitendo fidem externe, quod obligat quidem semper, sed non pro semper, & solummodo pro aliquo determinato tem-
- 31 pore. Unde per hoc affirmativum præceptum nunc præsertim obligamur ad externam fidei confessionem, quando per ejus omissionem subtraheretur honor debitus Deo, aut utilitas proximo impendenda; sic communis Doctorum cum S. Thoma 2. 2. q. 3. art. 3. ubi dicit, quod tale præceptum affirmativum obligat, „quando „per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & utilitas proximo impendenda: pu- „ta si aliquis interrogatus de fide, taceret, ex hoc „crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod „fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem „avertentur à fide. In hujusmodi enim casibus con- „fessio fidei est de necessitate salutis.” Hinc merito Innocentius XI. die 2. Mart. 1679. damnavit sequentem propositionem in ordine 18., ibi: „Si à potestate „publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, „ut Deo, & fidei gloriosum, consulo tacere, ut pec- „camosum per se, non damno.
- 32 Per se loquendo, si quis de fide interrogetur à persona privata, non peccat, si tacet, quia tunc est potius contemptus personæ, quam fidei ipsius: Si vero tale silentium sit signum negatæ fidei, vel erubescentiæ de confitenda fide, aut proximo generet scandalum, & occasionem spiritualis ruinæ, tunc sic tacens gra-
- 33 viter peccat; Communis. Potest licite fides occultari fugiendo: Tempore enim persecutionis licitum est Christianis fugere, seu se occultare, ne interrogentur, & fidem confiteri compellantur; Unde idipsum non tantum docuit Christus Matth. 10. dicens: Cum persequentur vos in Civitate, fugite in aliam; sed etiam ipsemet practicavit fugiens Herodis, & Judæorum persecutionem, ut notavit Gregorius Papa in cap. Sciscitaris 7. q. 1. & ipsum imitati sunt inter plures alios S. Athanasius, & Paulus Apostolus, ut habetur 2. ad Corinth. 11., ibi: Per murum in sporta dimissus sum,
- 34 & sic effugi manus ejus. Non possunt tamen licite fugere Episcopi, aut Pastores, ubi eorum præsentia esset ovibus pascendis, aut in fide confirmandis necessaria, etiamsi mors ipsis immineret, quia tenemur magis diligere proximum in spiritualibus, quam nos in temporalibus. Joannis enim 10. dicitur expresse: „Bov- „nus Pastor animam suam dat pro ovibus suis; Mer- „cenarius autem videt lupum venientem, & dimittit
- 35 „oves, & fugit.” Item licitum est occultare fidem signis, quæ ex se sunt indifferentia, ut in terris Turcarum, & Hæreticorum uti vestibus secundum morem eorum ad vitandum mortis periculum, seu ad habendam permissionem inibi degendi pro servitio aliorum Catholicorum, seu pro alio justo fine. Sic etiam non delinqueret adversus fidei confessionem, qui ad occultandam Religionem, & ad evadendum mortis periculum diebus jejunii carnibus vesceretur in locis Hæreticorum, cum usus carniū sit etiam de se signum indifferentens; Viva ad propositionem Innocentii XI. num. 14. & 15. Sanchez lib. 2. cap. 4. num. 25. Reiffenstuel loc. cit. num. 47. & alii passim. † In iis vero debet abesse scandalum, quo posito usus ille vestium, esus carniū,

& alia hujusmodi illicita omnino sunt; abesse quoque debet periculum contemptus præcepti Ecclesiæ in eo, qui carnibus vescatur diebus jejunii, ut alibi ab Auctore expositum est. † Illicitum tamen est occultare fidem signis illis, quæ ad profitendam falsam Religionem sunt instituta. Sic illicitum est, immo peccatum esset contra præceptum negativum fidei sacrificare Idolis, coram illis genua flectere, & hujusmodi. Illicitum esset uti vestibus Infidelium, si ab ipsorum Principibus essent institutæ in signum ad eorum sectam profitendam. Item illicitum esset templa Hæreticorum adire, eorum concionibus, & precibus interesse, si talia essent præcepta ad eorum sectam profitendum. Item illicitum esset diebus vetitis comedere carnes ab Infidelibus, & Hæreticis appostas ad dignoscendum, an quis sit Catholicus, si inde sequeretur notabilis divini honoris diminutio, vel proximi scandalum. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 8. expresse dicit: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.

Laicis personis de mysteriis fidei publice, vel pri-
vativim disputare prohibitum est sub pœna excommu-
nicationis ferendæ, textu expresso in cap. 2. de Hære-
ticiis in 6. §. Inhibemus, ibi: „Inhibemus quoque, ne
„cuiquam laicæ personæ liceat publice, vel privatim
„de fide catholica disputare: qui vero contrafecerit,
„excommunicationis laqueo innodetur.” Ita etiam iisdem
expressis verbis habetur in constit. 2. Nicolai III. in-
cip: Noverit §. 19., „Item firmiter inhibemus, ne cui-
„quam laicæ personæ liceat publice, vel privatim de
„fide Catholica disputare, qui vero contrafecerit, ex-
„communicationis laqueo innodetur.” Et concordant
constitutio Gregorii IX. incip. Excommunicamus; &
constitutio Innocentii IV. incip. Noverit, & cap. Mu-
lier 29. & cap. Cum ex injusto 12. de Hæretic. & te-
net communiter Doctores apud Barbos. in cit. cap. Qui-
cumque num. 14. & apud Cardin. Petram tom. 3. com-
mentar. in Constit. 2. Nicolai III. num. 17. † Vide no-
tam ad verb. Clerici, ubi ostensum est, iis temporibus,
quibus canones prohibentes laicis cum Hæreticis de fi-
dei articulis disputare editi sunt, Clericos vocari con-
suevisse illos, qui studiis erant addicti, & è contra lai-
cos nominari illiteratos. Hinc patet, non absolute dam-
nandum fore laicum in controversiis apprime versatum,
qui justis de causis cum hæretico de fidei controver-
siis certamen iniret, cum cap. Quicumque & cap. No-
verit & alia ab Auctore citata, eum nullatenus spec-
tent, nec præfatis prohibitionibus comprehendatur. †

Hæc prohibitio non solum comprehendit disputa-
tionem fidei dubitativam, quæ fiat animo improban-
di, seu revocandi in dubium aliquem fidei articulum;
quia hoc sensu disputare de fide est prohibitum tam
Clericis, quam Laicis: leg. Nemo Clericus, Cod. de
Summa Trinitate, sed comprehendit etiam disputatio-
nem fidei confirmativam, qua quis laicus constans in
fide ejus veritatem propugnat contra Hæreticos, &
Infideles ex motivo eos convincendi; Cardin. Petra loc.
cit. num. 19. & alii.

Talis prohibitio comprehendit omnes laicos, nedum
indoctos, sed etiam doctos, & quantumvis ad tales
disputationes cum Hæreticis suscipiendas idoneos; Glos.
in cit. cap. Quicumque 2. de Hæretic. in 6. verb. Laicæ,
Albertin. de agnoscen. assertion. q. 13. num. 5., & seq.
Alphons. de Castro de justa Hæretic. punit. cap. 19.
Villalob. in Summa tract. 1. difficult. 7. §. 4. Salell. de
mater. Tribunal. Fidei lib. 1. cap. 18. regul. 86. n. 85.
Del Bene de Offic. Inquisit. part. 1. dubit. 155. petit. 6.
num. 7. Verricelli de Apostol. Mission. tit. 2. de Fide
q. 38. num. 11. Petra loc. cit. num. 22. & alii. Et ratio est,
quia hujusmodi disputatio non solum interdicitur
laicis, quia ipsi præsumuntur ad id minus idonei,
& de rebus fidei minus instructi, sed quia con-
veniens videtur, disputationes de rebus sacris à solis
ecclesiasticis, sacrisque personis suscipiantur, & non
à laicis, quemadmodum ipsis omnibus interdicitur præ-
dicationis officium; cap. Mulier 29. dist. 23. cap. Cum
ex injuncto 12. & cap. Sicut 14. de Hæreticis, ibi:
„Cum igitur nonnulli laici prædicare præsumant, &

„verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum
„subintrent: Nos attendentes, quod Doctorum ordo
„est in ecclesia Dei quasi præcipuus, mandamus qua-
„tenus cum alios Dominus Apostolos dederit, alios
„Prophetas, alios vero Doctores, interdicas laicis uni-
„versis cujuscumque ordinis censeantur usurpare offi-
„cium prædicandi.”

40 Possunt tamen laici docti de fide discutere in casu
necessitatis, aut evidentis utilitatis, veluti si nullus esset
ecclesiasticus idoneus, qui Hæretico simplicem plebem
seducenti opponeretur, vel si disputationem suscipiat
rogantibus Clericis; *arg. cap. Mulier 29. dist. 23. Sic*
Coninch. de infidelit. disp. 18. dub. 9. num. 145. Be-
can. de fide c. 15. q. 7. num. 6. Petra loc. cit. num. 23.
Sive Catholici sint in locis, ubi permixtim vivitur cum
Hæreticis; *Ledesma in Summa tom. 12. tract. 1. c. 5.*
conclus. 23. Cajetan. in 2. 2. q. 10. art. 7. Sanchez
lib. 2. moral. cap. 6. num. 7. Salell. cit. regul. 86. nu-
mer. 100. Petra loc. cit. num. 23. Verricelli de Apostolic.
41 *Mission. tit. 2. de fide q. 83.* ubi alios casus enumerat,
in quibus laici docti disputare possunt de fide. Et sic
pro aliquo ex dictis casibus intelligendi sunt Doctores
sentientes laicos doctos disputare posse de fide, ut sen-
tiant, aliqui, quos sequitur *Diana tit. 5. tract. 13. re-*
sol. 22. Vel intelligendi sunt de fidei disputatione ma-
teriali, hoc est ficta, quæ cum fiat inter Catholicos,
uti contingit in nostris Academiis, ubi exercitii gra-
tia etiam de rebus fidei cum laicis disputamus, ut
melius veritatem attingamus, errores propulsemus,
etiam laicis est permissa, & licita; servatis tamen con-
ditionibus, aut circumstantiis debitis, quas recenset
Doctissimus *Suarez de fide disp. 30. sect. 1. scilicet tum*
ex parte disputantium, ne sint viri indocti, seu rixo-
si, tum ex parte audientium, ne ob eorum simplici-
tatem decipi, aut scandalum pati contingat, ut etiam
42 notaverat *S. Tomas 2. 2. q. 10. art. 7.* Fidei autem dis-
putatio formalis, hoc est vera, quæ habetur à Catho-
licis cum Hæreticis, vel infidelibus ex motivo eos con-
vincendi, & suadendi eis veritates nostræ veræ fidei,
& in qua disputantes non solum verbis, & argumen-
tis, ut in disputatione materiali, & ficta, sed etiam
animo, & sentiis inter se pugnant, est laicis uni-
versis prohibita per Jura adducta *sub num. 26. & cit.*
Doctores, & allatam rationem *sub num. 28.*

43 Catholici dicuntur etiam Orthodoxi, quasi dicas san-
næ fidei, ab *Orthos* græce, latine idem quod *rectus*,
& *doxa* græce, latine idem ac *opinio*; è contra vero
alii, videlicet Hæretici, & Schismatici dicuntur Hete-
rodoxi, idest alterius opinionis à recta fide, quæ est
grande divinæ misericordiæ donum secundum illud
Apostoli *1. ad Corinth. cap. 7. Misericordiam consecutus*
44 *à Domino, ut sim fidelis.* Quod, si qui catholice cre-
dit, peccati lethalis foret obnoxius, ejus fides dicitur
mortua, eo quia est in homine mortuo ad gratiam ra-
tione peccati, quod est mors animæ, & propter idem
lethale fides est sine merito: è contra vero dum fide-
lis est in gratia, ejus fides dicitur viva, quia est in
homine informato charitate, & gratia, quæ est vita
animæ; & ratione ejusdem charitatis, & gratiæ fides
est meritoria, ex quibus patet in quo differant fides
viva, & fides mortua, de qua *Jacobi cap. 2. vers. 20.*
Fides sine operibus mortua est.

45 In damnatis, & dæmonibus non adest fides divi-
na, hæc namque supernaturale Dei donum est, &
quoddam animæ ornamentum; damnati autem, & dæ-
mones tamquam finaliter proscriti supernaturalibus om-
nibus, ut de facili patet, denudantur à supremo jus-
tissimo Judice: & ideo &c. Quod si Divus Jacobus
Epist. Cathol. cap. 2. num. 9. ait: *Et dæmones credunt,*
& *contremiscunt*, non est sensus, quod dæmones fi-
dem divinam habeant; sed quia cum experiantur fina-
liter Infideles, & finaliter declinatos à fide catholica
in æternum periisse, manifeste concludere coguntur
ejusmodi fidem esse verissimam, ac de ejus Auctore
contremiscere: tum quia ad idem necessitantur dæ-
mones ex evidenti credibilitate *n. seq. posita*: igitur li-
cet &c. non autem &c. Accedit etiam principaliter,

quod dæmones credunt non fide infusa, sed natura-
li, convicti scilicet miserabili experientia, qua primo
in seipsis vindicem Dei manum experiuntur: unde dum
comparatur fides peccatorum fide dæmonum, id ac-
cidit, non quantum ad naturam, sed quantum ad ste-
rilitatem, quatenus neutra proficit ad salutem. Est ta-
men fides divina in animabus purgatorii, quia ex una
parte tamquam ad gloriam destinatæ donis supernatu-
ralibus sunt capaces; & ex alia parte cum adhuc in
patria non sint adhuc per speculum, & in ænigmate
vident, non vero facie ad faciem, sicut vident Beati,
atque ideo &c. Nec obstat, quod sint in termino, quia
licet sint in termino meriti, non sunt tamen in termi-
no satisfactionis.

Tandem pro complemento præ oculis habendum
præsertim in tentationibus, quod sicut *Judicia Dei* 46
abyssus multa, & imperscrutabilia, ut sacræ literæ
testantur, & consequenter non spiritu præsumtionis
investiganda, sed fideliter timenda, ita fidei divinæ
mysteria natura sua viatorum mentes excedentia, non
sunt præsumtuose exploranda, sed captivato intellec-
tu in obsequium fidei sunt propter summam, & in-
fallibilem Dei revelantis auctoritatem firmiter creden-
da. His accedit, quod plurima ex naturalibus, vel dif-
ficile, vel nullo modo capimus; *Sapient. enim 9. vers. 16.*
legitur: „Difficile æstimamus ea, quæ in terra sunt,
„& quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ
„autem in Cælis sunt quis investigavit?” *Ecclesiast-*
tes cap. 1. vers. 8. Cunctæ res difficiles, non potest eas
homo explicare sermone, sicut de facto liquet de fluxu,
& refluxu maris, de systemate mundi, ac de natura
continui, ubi & arenula est lapis Lydius tenuitatem
intellectus humani ultro contentans: & ita de innu-
meris aliis in tantum, quod philosophari quasi non vi-
deatur nisi pulchre imaginari. Supernaturalia ergo nos-
trum quis pertingere poterit? unde *Proverb. 25. vers. 27.*
qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria; &
Jerem. 32. vers. 19. Dominus est magnus consilio, &
incomprehensibilis cogitatu, & Ecclesiastici 3. vers. 22.
Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fue-
ris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, &
in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; quare Joan. 20.
num. 29. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Licet
autem fidei divinæ mysteria non sint evidenter scibilia,
sunt tamen ut optime docent Theologi evidenter cre-
dibilia juxta illud *Psal. 92. Testimonia tua credibilia fac-*
ta sunt nimis. & quidem ex multis motivis, sed præ-
sertim ex octo viis à meo Doctore *q. 2. Prolog.* allatis:
nempe ex pronuntiatione prophetica, scripturarum con-
cordia, auctoritate Scribentium, diligentia recipientium,
rationabilitate contentorum, irrationabilitate aliorum,
& ex ecclesiæ stabilitate, ac miraculorum claritate; his
inquam nostram fidem, scripturam, & ecclesiam veras
esse, & non nisi à Deo profectas evincitur evidenter
credibile; de quibus singillatim *Doctor Subt. loc. eit.*
Mastrius disp. 6. de verit. Theol. q. 10. art. 1. *Frafsen,*
& alii passim. Consulantur ipsi præsertim à *Missiona-*
riis, qui neophytos facere student, idest novos in fide;
Neophytus enim dicitur à *Neos*; quod est novus, &
Phytos, quos est fides, *dist. 48. c. quoniam* Neophy-
tus is dicitur, qui novus est in fide, vel religione: qua-
si nostræ fidei, & religionis planta novella.

* Fidei Christianæ occultatio cum simulatione Ma-
chumetismi damnatur à *Benedicto XIV. tom. 1. Cons-* 47
titut. 89. incip. inter omnigenas §. 3. In Fidei causa 48
conniventia locus esse nequit. Idem *Constitut. 114. in-*
cip. Reddita §. 5. Fides plurium Mysteriorum explicita 49
requiritur necessitate medii; Aliorum vero necessitate
præcepti. Idem *Constitut. 42. incip. Etsi minime*, in qua 50
ad id commendat præsertim *Libellum de Clementis VIII.*
mandato à cardinali Bellarmino editum, & approbatum 51
pro tradenda Doctrina Christiana.

Hinc actus fidei non debet comprehendere tantum 52
in genere quidquid fides dicat; sed debent etiam cre-
di explicite ea mysteria, quæ sciri debent; idem *Ins-*
tit. Eccles. 72.

Actus Fidei, Spei, & Charitatis debent per acci- 53
dens

dens elici, quum aliqua tentatione urgemur, nec illam superare valemus, nisi efficacia illorum actuum; *ibidem*. §. 20.

- 54 Nec sufficit ad implenda tria ista præcepta, seu Caritas virtualis, quæ in obsequendo divinis præceptis exercetur, ne etiam fides virtualis, ut ex pluribus damnatis propositionibus firmatur, *ibid.*
- 55 Si quis diuturno satis tempore negligit elicere actus Fidei, Spei, & Caritatis; illum versari in periculo æternæ salutis, firmatur *ibid.* §. 21.
- 56 Num licet Christianis degentibus sub Turcarum imperio, vel Turcis, qui ibidem agentes convertuntur ad fidem, turcica nomina vel retinere vel sibi imponere; hoc enim pertinet ad externam fidei professionem. Idem Constitut. incip. *Inter omnigenas* ad incolas Regni Servix, & finitimarum regionum: & Congregatio universalis Inquisitionis in rescripto ad postulata Episcoporum Albanensium idem edixit. *De Synodo Diæces. lib. 3. cap. 20. §. 9. nov. edict.* Idque non licet etiam ad evitandas pœnas, vel quamcumque utilitatem captandam. Idem Constitut. incip. *Quod Provinciale* §. 1. Eisdemque nominibus utentes Sacramentorum incapaces declarantur, ac suffragiorum post mortem indigni; *ibid.* §. 4.
- 59 Christiani ad Turcas apostatantes, deinde redeuntes ad fidem tenentur coram fidelibus publice abjurare apostasiam: at coram infidelibus non est necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponant vestem protestativam falsæ Religionis; & curent, ut successu temporis infideles agnoscant vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjuracionem, etiam cum periculo vitæ. Ita ex decreto S. Inquisitionis. *De Synod. Diæc. lib. 13. cap. 22. §. 17.* At in Decreto servato in Archivo S. Inquisitionis non legitur hoc additamentum: *curent, ut successu temporis &c.* quare ad id non esse obligandos fideles, additur *ibid.* §. 18.
- 60 Fidei Christianæ favor, Legum rigori congruas interpretationes abhiberi suadet. Idem tom. 2. Bull. Constitut. 28. incip. *Postremo mense* §. 16.*

A P P E N D I X

Sive novus de Fide

A R T I C U L U S.

Hactenus exposita satis perspicue, ac solide demonstrant, Christianum hominem ita paratum esse debere ad fidem tuendam, & eam, dum debitus Deo honor, ac proximi utilitas exigat, palam quoque profitendam, ut persecutiones, carceres, cruciatus, mortemque potius debeat subire, quam eam verbis vel factis, explicite, vel implicite negando, Deum debito per fidei confessionem honore privare, atque contemnere. Quo autem facilius dubia solvi, & explicari queant, quæ orthodoxæ Religionis Ministris in Infidelium partibus solent passim occurrere circa particularia facta, ac casus nonnullos, quibus vel facto, vel implicite catholica fides violari videtur, brevem hanc instructionem addendam esse existimavimus, quam partim ex decretis depromsimus, quæ hac super re ex suprema Inquisitione, pro solvendis propositis à Missionariis dubiis, prodire: partim ex pontificiis constitutionibus, quibus abusus damnantur, qui in nonnullis Infidelium, Hæreticorumque regionibus, contra divinæ fidei puritatem, in christianam religionem irrepserant.

- 61 PRIMO itaque fidem facto suo negare dicitur, qui ea faciat, quæ ad falsi numinis, hæreticique hominis obsequium, & cultum referantur; Is enim facto suo falsam religionem profitetur. Atque hanc ob rem supremæ Inq. decretis an. 1626. & an. 1669. definitum est, *nullo modo licere christianis, nec ulla causa, aut motivo posse permitti, aut tolerari, ut operam suam navent*

ædificandis, instaurandis, verrendisque templis falsis numinibus, vel Auctoribus falsarum sectarum dicatis; aut eorum purgandis parietibus, & pavementis, mundandis altaribus, aperiendis, claudendisque foribus. Atque hinc sequitur, rei de se malæ operam dare, ac facto negare fidem, qui Idola, quæ Infideles colant, construant, vel falsi numinis imagines pingant; quippe falsis numinibus famulatum præbent, iisque si non per se, per alios saltem obsequium cultumque exhibent.

Secundo, facto fidem negant, qui ea faciant, quæ ritum falsum, sacrilegumque cultum comprobent, ratumque habeant; id enim est fidem orthodoxam, quæ hæc damnat, contemnere, falsamque religionem opere profiteri. Ratum vero habent ritum, falsumque cultum, qui in Schismaticorum, Hæreticorum, Infideliumque templis organa, vel alia instrumenta pulsant, metros canant, aut concinendos componant, vel artem musicam alio modo exercent. Hinc constit. quæ incip. *Omnium sollicitudinum*: qua prædecessorum decreta confirmantur circa ritus Madurenses &c. Benedictus XIV. approbat, & mandat observari decretum Cardinalis Tournon, quo prohibetur; „Ne imposterum Christianifideles audeant nec in Pagodis, nec extra, tum occasione sacrificiorum, tum quarumcumque solemnitatatum superstitioso cultu imbutarum, sonare, aut canere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire. Ideoque, *subdit*, Missionarii non solum eos monere tenebuntur de prædicta prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, & contrafacientes ab ecclesia expellere, donec ex corde respiciant, & publicis pœnitentiæ signis patratum scandalum emendaverint.” Hoc modo fidem negant etiam ii, qui in Infidelium, & Hæreticorum scholis falsos eorundem ritus & profana à catholica fide aliena dogmata doceant, *ex Decr. Sup. Inq. 2. Maii 1711.* Nam dum docent, facto suo approbant, falsamque profitentur religionem.

Tertio, qui facto aliquo orthodoxam religionem in odium fidei contemnat; ut qui imperante Infidèle Principe in catholicæ fidei contemptum, sacros ritus spernat, carnes, quo prohibentur tempore, comedat, immolatis utatur, christianorum templa evertat, ex equo descendat dum ante fores transit templi Idolorum; *ex Decret. Sup. Inq. 1647.* Is & fidei professionem omitit, quam vigente illo Principis præcepto, quod vim interrogationis habet, palam facere debet, & fidem exteriori contemptu negat.

Quarto, qui vestem induat, quæ ex instituto hominum usu recepta, & approbata, falsæ sectæ professorem, sive falsæ religionis Ministrum designet, ut lineam vestem talarem, quæ Mahumetanis Sacerdotibus est propria, vel fasciam quamdam, qua apud Indos Idolorum Sacerdotes utuntur; Is enim hoc modo falsæ sectæ professorem sese ostendit, ac virtualiter saltem fidem negat; *Decret. Supr. Inq. 8. Julii 1630.*

Quinto, „qui nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumunt: abonanda Infidelium templa, quæ *Moscheas* vocant; frequentant: ecclesiasticorum jejuniorum dies carniarum usu profanant, & hæc eo fine, ut Mahumetani credantur, opera faciunt, quæ mendacium in re gravissima continent, & virtualemente fidei negationem, maxima cum Dei injuria proximique scandalo includunt, quemadmodum legitur *Constit. quæ incip. Inter omnigenas tom. 2. Bull. pag. 32.* in qua Benedictus XIV. abusus damnat nonnullos fidei puritati contrarios, qui in regno Servix, finitimisque regionibus in christianam religionem irrepserat; atque decernit, eos, „qui obstinate in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces esse Sacramentorum in vita, & si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem, ad quæ nullus ecclesiæ Minister illos admittere præsumat, alioquin à proprio Episcopo Canonicis pœnis plectendus erit.”

Sexto, qui ritus usurpent falsæ Religionis protestativos, hujusmodi enim usu errores contra christianam fi-

fidem, quos indicant se se approbare demonstrant, ac falsæ sectæ professores exterius manifestantur. Hinc in citata *Constit.* Inter omnigenas: circumcisionis usus Mahumetanorum more, damnatur; *Const. Omnium sollicitudinum*, de qua supra *Mulieribus* in regno Madurensi, & ei finitimis regionibus, prohibetur deferre collo appensum in signum contracti matrimonii Taly, quod præfert imaginem licet informem Pullejaris, seu Pyllejaris Idoli nuptialibus cæremoniis præpositi; » & christianis omnibus prohibetur, cineres ex vaccæ stercore confectos, & impiam Gentilium pœnitentiam à Rutrem institutam redolentes, benedicere, eosque fronti sacro chrismate delinitæ impingere, sive quæcumque alia signa albi, vel rubei coloris, quibus Indi supersticiosissimi, vel in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre: Et *Const.* Ex quo singulari, quæ est de Ritibus Sinensibus, tom. 1. p. 118. damnantur cæremoniæ, ritus, & oblationes, quæ fiunt tum singulis mensibus in novilunio, & plenilunio, tum à Literatis, & Magistratibus dum in gradus, sive dignitatis possessionem adeunt, vel post adeptam: Item oblationes quæ fiunt in templis, seu ædibus, Progenitoribus dicatis, & ritus oblationesque coram Progenitorum tabellis in privatis domibus, sive eorum sepulcris, una cum Gentilibus, & etiam seorsim ab illis: ac prohibetur, domi retinere Progenitorum tabellas cum inscriptione, qua tronus, sive sedes Spiritus designetur. Quod spectat ad ritus supersticiosos, vide appendicem ad caput de superstitione.

67 *Nota.* Si ritus indifferentes occurrant, tutius est, ut Catholici quoad fieri possit ab illis abstineant, ne cultu peregrino, & ecclesiæ catholicæ ignoto verum Deum venerentur. Numquam vero licet *Gentilium ritus adoptare, eosque in Christianos usus convertere, inconsulta Apostolica Sede*, ut *Const.* decernitur antea laud. *Omnium sollicitudinum.*

68 Implicite contra orthodoxæ fidei confessionem peccat, qui dum debitus Deo honor id postulet, libere orthodoxam fidem non profitetur; sed tacet, atque silentio suo alios in suspicionem ducit, se vel fidem negare, vel eam profiteri erubescere. In Deum enim injuriosus est, qui veritatem ab ipso revelatam libere confiteri erubescit. Primo itaque peccat, qui interrogatus à publica potestate de sua religione taceat, si interrogatio sit in odium religionis: Si enim 1. ob politicas Status rationes fieret, ut pecunia v. g. à Catholicis extorqueretur, debitus Deo honor ex confessionis silentio non subtraheretur. 2. Si silentium, attentis circumstantiis, non appareat omnibus implicita orthodoxæ fidei confessio.

69 Secundo peccat etiam, qui interrogatus à privata persona, fidem palam non fateatur in iis circumstantiis, in quibus confessionis omissione Deus injuria afficeretur, & proximus pateretur scandalum; hæc enim duo semper vitare tenemur. Ut si interrogatus prospiceret ex suo silentio fluctuatos in fide catholicos audientes; vel infideles christianos derisuros, quod fidem christianam palam confiteri erubesceret.

70 Tertio. Quamquam persecutio in odium fidei adversus orthodoxos excitata in Deum injuriosa est, & interrogationem, quæ ad fidem confitendam cogit, involvit; tamen, ut optime Auctor demonstravit, qui eam fuga declinare studeat, non modo non negat, sed ipso facto fidem quodammodo fatetur. Fuga autem non modo licita, sed quandoque etiam necessaria est; 1. Quoties fideles timent, prævidentque periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque negandi. Nam qui hujus periculi conscius Tyranni sævitiam non devitaret, Deum tentaret, qui sicut non deficit in necessariis, ita non abundat in superfluis. 2. Quando persona necessaria, ac maxime utilis sit communi ecclesiæ bono; ut Augustinus *tract.* 46. in Joannem exemplo demonstrat Apostoli Pauli, qui ob ecclesiæ utilitatem se furori Præpositi Damasci subduxit. 3. Declinandum martyrium est, dum prævideatur nemini profuturum, sed Tyrannum magis irritandum fore, & crudelius in

christianos sæviturum. 4. Licite etiam Episcopi, Parochi, & Missionarii fugiunt, ac quandoque sævientem Tyrannum declinare debent, si in ipsos solos sæviat, nec alii Ministri adsint, qui relictis ibi christianis spiritualia subsidia suppeditare possint. *Manifestum est*, inquit S. Thom. *lect.* 3. in c. 10. Jo. quod si quæeratur sola persona Prælati, possunt alii loco ipsius ad gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur, & gubernent gregem; unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves: & hoc modo, & casu fugere licet. Immo expedit aliquando hæc fuga, si ea impediri possit, ne Tyrannus in alios quoque christianos sæviat; vel si redire posse sperent majori cum fructu. Sed Pastoribus, Sacrisque Ministris fugere non licet, si oves eorum indigent spirituali subsidio, si periculum sit ne dispergantur, & fidem amittant, ac si ex eorum fuga scandalum paterentur fideles, atque infideles contemnendi religionem occasionem sumerent. Tunc enim non solum charitatis, verum etiam justitiæ debito tenentur rudes instruere, dejectos roborare, & erigere, nutantes confirmare, omnesque ad dimicandum totis viribus, pro Dei gloria, & honore adhortari. Hinc proposito dubio, *An ad evitandum periculum liceat Missionariis à Missione discedere absque licentia Sac. Cong. An. 1646.* Sac. Congreg. de propaganda fide respondit: *Tempore persecutionis esse magis necessariam Pastorum præsentiam, ne fideles pervertantur.*

Quarto, dum Infideles, vel Hæretici sacras Imagines conterant, & Crucifixum contumeliis afficiant, tenentur fideles palam orthodoxam fidem profiteri; debent enim, quoad fieri possit, injuriam Deo, & sacris Imaginibus irrogatam propulsare, ac per publicam confessionem palam facere orthodoxam fidem sacrasque Imagines honore dignas esse. Secluso vero periculo contentus licet Missionariis sacras Imagines donare Infidelibus, qui iis delectentur, tum amicitiae pacisque fovendæ gratia, tum ad eos alliciendos ad amplectendam fidem: Ex *Decret. Suprem. Inquisit.* 1674. Nefas vero est ex eodem decreto iis sacros libros, ac vasa sacra tradere, qui in religionis contemptum uti possint.

Quinto, dum Infideli, vel Hæretico Magistratu imperante, christianorum ecclesiis, ædibus, aliisque locis libelli assignantur orthodoxæ religioni detrahentes, eandemque contumeliis, & calumniis deturpantes, orthodoxi præcepto illo, quo illatam Deo injuriam vindicare, ac sublatum ei honorem restituere tenentur, in ea necessitate constituuntur, ut schedas auferre libellis respondere, ac ad Judices delati palam orthodoxam fidem profiteri debeant. At scripturis, quæ non publica auctoritate, sed privata fiunt, quæque Evangelicos Ministros injuriis, calumniisque afficiunt, & orthodoxæ fidei adversantur, Ministri Sacri contraria opponere non prohibentur, dum tamen inde imminere non videant graviores persecutionis periculum. Satius tamen erit injurias, calumnias, & blasphemias patienti animo ferre, ac negative se habere: *Suprem. Inquisit. Decret.* 1674.

Quæri hic etiam potest, num de Fide cum Hæreticis, & Infidelibus disputare liceat? quibus & quomodo id liceat? Quod ut rite expendatur, notare oportet, disputare de fide idem esse, ac ad examen revocare Religionis dogmata, atque argumentis demonstrare à Deo esse revelata. Id autem duplici fieri potest modo, privatim scilicet, & publice. Privata disputatio est, quæ in privato loco inter privatos fit, ita ut nulli, aut pauci auditores adsint; quomodo passim in Hæreticorum præsertim regionibus Hæreticos inter atque orthodoxos de fide certari solent. Publica vero disputatio dicitur, quæ fit publico in loco, spectante populo, ac quandoque etiam arbitris constitutis. Privata disputatio cuique viro docto ab Hæretico provocato licita est, ac etiam expediens; primo si prudenter judicet, Hæreticum desiderio cognoscendæ veritatis, vitandique erroris ad disputationem provocare; secundo, si prudenter speret disputatione illa privata ad orthodoxam fidem provocantem hæreticum conversum iri: tertio, si silere non possit, quin audientes in

fide vacillent, Hæretici magis in errore confirmantur, ac orthodoxa fides contemptui exponatur; Nam quisque tenetur, proximi saluti, dum potest, consulere, contemnentes fidem orthodoxam ita compescere, ut inde Hæretici majoris contemptus, & derisionis occasionem non arripiant, & ne Deo injuria fiat, impedire, illatamque vindicare. Sed, remotis hujusmodi circumstantiis, *disputatio de rebus fidei Laicis est prohibita. Sacerdotes nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere, excusando se bonis verbis, & prætextibus;* ex Decreto Sac. Congr. *de prop. fide* 27. Februar. 1630. Sed licet periti sint Sacerdotes, sive Missionarii, cavere omnino debent, ne Hæreticos ad disputandum provocent: in causa enim essent, ut Hæretici orthodoxa dogmata refellendo, hæreseos actus exercerent, ac catholicam fidem contemnerent; quæ duæ res grave per se peccatum faciunt; & ne colloquiis privatis disputationes de fide miscendo, eosdem Hæreticos sine fructu ullo moveant ad orthodoxæ fidei contemptum, & Catholicorum, non sine Religionis detrimento, persecutionem. »Hæretici enim, inquit Augustinus *lib. 15. contra Faustum cap. 2.* non disputationem »amant, sed quomodo superare impudentissima perti»nacia, ut congregent, quæ non pepererunt.» Et S. Bernardus *ser. 66. in Cant.* »Nec rationibus convin»cuntur, quia non intelligunt, nec auctoritate corri»guntur, quia non recipiunt; nec flectuntur suasioni»bus, quia subversi sunt.«

74 A publicis autem disputationibus cum Hæreticis Missionarii abstinere omnino debent. Sac. enim Cong. *de prop. fide* 8. Mart. 1625. »Jussit publicas disputatio»nes non fieri cum Hæreticis, quia plerumque vel ob»loquacitatem, vel audaciam, aut circumstantias populi acclamantis, veritas falsitate prævalente, opprimitur, & si aliquando hujusmodi disputationes recusare non possent, primum de illis certior fiat Sac. »Congreg. quæ juxta temporis, & personarum qualitatem, quid agendum sit præscribet.« Quamobrem, cum Missionarii nonnulli ann. 1635. publicas de Religione disputationes cum Batavis Constantinopoli coram Vicario Patriarchali instituissent, »Sanctissimus mandavit, significari Generalibus Regularium Peræ eom»morantium, ut illis interdicerent, ne hujusmodi con»gressus, aut disputationes publicas imposterum facere præsumerent sub pœnis arbitrio Sac. Congr. *Sup. Inq.* Et Sac. Congr. *de Prop. Fide* die 19. Januar. 1644. cuidem Missionario in Armenia mandavit, »ut à disputationibus cum Patriarcha Armenorum in Etuam »circa articulum duarum naturarum in Christo se abstineret.«

75 Multo minus licitum est Missionariis sine expressa Romani Pontificis licentia conventum indicere ecclesiasticum, in quo cum Hæreticis de Religione disputent. Hinc eadem Cong. die 27. Maii 1644. reprehendendum censuit P. D. Joannem Judischi Missionarium. »Quod »susceperit onus convocandi dictum conventum, sine »Sedis Apostolicæ speciali mandato.

76 Porro si Romanus Pontifex hujusmodi conventum permittat, quinque sunt necessariæ conditiones, ut rite fiat. 1. Ut Hæretici, non ut Judices, & cum jure suffragii conveniant; sed ut instruantur, convincantur erroris, & corrigantur. 2. Ut non definiantur fidei dogmata, sed definita à Conciliis, vel Apostolica Sede, à Deo revelata esse demostrentur. 3. Ne fiant coram plebe, sed coram doctis. 4. Ne sedeant tamquam Judices laici, etiamsi sint Principes. 5. Non debent Catholici Prælati à laico Principe cogi ad conventum, sed tantum invitari, & peti debet à Summo Pontifice licentia, ut possint ea de causa à propriis ecclesiis abesse: Hæreticos autem, & Schismaticos poterit Princeps cogere, ut vocati à Prælatibus Catholicis veniant ad reddendam rationem sui erroris, ut ita corrigi, & convinci possint.

§ Nomina Turcica, seu Mahumetana non licet Christifidelibus assumere, sibi imponere, ad evitandas pœnas, vel quamcumque utilitatem captandam; Benedicti XIV. Constitut. *incip. Quod Provinciale* §. 1.

Eisdem utentes Sacramentorum incapaces, ac suffragiorum post mortem indigni declarantur; Idem *ibid.* §. 4. *D*

FIDEI PROFESSIO.

SUMMARIUM.

- 1 **F**URE ecclesiastico obligantur ad emittendam fidei professionem omnes baptizandi.
- 2 Hæretici ad ecclesiam catholicam redeuntes tenentur prius arbitrio Episcopi publice suam hæresim abjurare, & fidei catholicæ professionem emittere.
- 3 Fidei professionem emittere tenentur omnes Magistri, Regentes Universitatum, & docentes quasdamque scientias etiam grammaticam, & alii cujuscumque artis, & facultatis professores, sive laici, sive Clerici etiam Regulares illi fuerint, & qui ad aliquem gradum promoveri voluerint.
- 4 Fidei professionem emittere debent Advocati, Procuratores, Judices, Medici, Chirurghi, Confessarii omnes, & Concionatores saltem semel; respectu Prædicatorum tamem Sacra Congregatio Concilii in una Brugnatensis declaravit neque Regulares prædicare volentes emittere teneri professionem fidei, nisi ab Episcopo exigatur.
- 5 Item fidei professionem emittere tenentur Bibliopole, & Typographi.
- 6 Contra Lectores, Magistros, Rectores, vel Cancellarios Gymnasiorum, promovendos ad Doctoratus, aliosve recensitos in Constit. Pii IV. *incip. In Sacrosancta, si non emittant fidei professionem, imponitur pœna nullitatis actorum, & aliæ imponuntur contra Rectores, & Superiores quoscumque Universitatum, & Gymnasiorum.*
- 7 Episcopus non exigens, nec recipiens à Doctoribus, & Scholaribus fidei professionem, incurrit pœnam Interdicti ab ingressu ecclesiæ.
- 8 Inferiores vero non recipientes ut supra, excommunicationis lætæ sententiæ, privationis dignitatum, beneficior. offic. & feudorum incurrunt pœnam.
- 9 Fidei professio est faciendâ à Græcis, & sub propria sua formula.
- 10 Fidei professio facta ab Imperatore Græcorum Lugduni eadem fuit cum illa, quam faciunt Latini.
- 11 Fidei professio, simul ac specialis promissio de eadem usque in finem sincera cordis devotione, ac constantissime retinenda debet emitti ab omnibus illis, qui ad Sacros Ordines sunt promovendi.
- 12 Item fidei professionem facere tenentur promoti ad episcopatum.
- 13 Omnes Episcopi in principio Concilii provincialis debent fidei professionem emittere, & jurare observantiam Sac. Concilii Tridentini.
- 14 Item Beneficiati omnes, & ii, qui in synodo diocesana convenire debent, fidei professionem tenentur emittere in prima synodo, cui adfuerint.
- 15 Canonici, & dignitates ecclesiæ cathedralis tenentur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses fidei professionem facere, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo.
- 16 Hanc fidei professionem Canonici, & dignitates cathedralis tenentur facere per seipsos personaliter, & non sufficit per procuratorem.
- 17 Coadjutores Canonorum, seu dignitatum cathedralium de rigore Juris communis, seu Concilii Tridentini non tenentur emittere professionem fidei.
- 18 Nec talem professionem fidei tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, & alii provisi de capellanis in ecclesia cathedrali.
- 19 Nec ad ipsam fidei professionem emittendam tenentur jure Tridentini, & cit. constitutionis Pii V. Canonici, & dignitates ecclesiarum collegiatarum, & possidentes beneficia inferiora non curata. Vide

tamen verb. Canonicus, ubi late de spectantibus ad hanc fidei professionem.

- 20 Prælati Regulares, qui præficiuntur monasteriis, conventibus, domibus, & aliis quibuscumque locis Regularium, an teneantur ad fidei professionem, ad num. 21.
- 22 Regulares Concionatores non tenentur ad emittendam fidei professionem, nisi ab Episcopis exigatur.
- 23 Additur ad rem notabilis Resolutio Sac. Congregat. Concil.
- 24 Subnectuntur supplementa ex aliena manu, ad numer. 26.

JURE ecclesiastico obligantur ad emittendam fidei professionem omnes baptizandi, arg. cap. Prima igitur 73. dist. 4. de consecr. Si autem aliqui baptizandi per se ipsos professionem fidei emittere nequeant, ex quo credere, & loqui non valeant, ut parvuli, amentes, vel muti, tunc debet talis fidei professio fieri per alium, nempe per Patrimum, textu expresso in cap. Parvuli alio proficiente 74. dist. 4. de consecrat. ibi: „Parvuli alio proficiente baptizantur, quia adhuc loqui, vel credere nesciunt, sicut etiam ægri, muti, & surdi, quorum vice alius profiteretur, ut pro eis respondeat, dum baptizantur.“ Hæetici ad ecclesiam catholicam, & apostolicam redeuntes tenentur prius arbitrio Episcopi publice suam hæresim abjurare; cap. Ad abolendam 9. de Hæreticis, & hoc rectissime fit emittendo fidei catholicæ professionem juxta formam de facto in ecclesia usitatam, à Pio IV. ab omnibus uniformiter observandam præscriptam in sua constitut. incip. Injunctum nobis. Immo antiquitus hæetici redeuntes ad unitatem Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ tenebantur fidei professionem etiam per scripturam, atque oblatum libellum exhibere; cap. Si qui voluerint 8. cap. Maximum 19. & cap. Donatum 2. caus. 1. quest. 7. Fidei professionem emittere tenentur Doctores, Magistri, Regentes Universitatum, vel Gymnasiorum, docentes quascumque scientias, etiam grammaticam, & alij cujuscumque artis, ac facultatis professores, sive Clerici, aut laici illi sint, vel cujuscumque Ordinis Regulares, qui docere, vel ad aliquem gradum promoveri voluerint; Pius IV. constit. incipient. In Sacrosancta: ad cujus calcem tradit etiam propriam formulam: Et Sacra Congregatio Concilii declaravit comprehendendi in dicta Bulla Pii IV. etiam docentes principia grammaticæ, musicæ, & aliarum artium, licet publicam scholam non faciant, sed in propriis domibus doceant. Sic refert Hieronymus à Sorbo in compendio privilegiorum Mendicantium verb. Professio fidei notabil. 4.

Fidei professionem emittere debent Advocati, Procuratores, Judices, Medici, Chirurghi, Confessarii omnes, & Concionatores saltem semel: Concil. Provincial. Mediolanens. V. tit. de professione fidei, & sic statutum reperitur fere in omnibus synodis diocesanis, & signanter in Synodo Alexandrina de anno 1733. tit. 1. de fidei professione; respectu Concionatorum tamen, Sac. Congreg. Concil. in una Brugnatens. declaravit, neque Regulares prædicare volentes emittere teneantur professionem fidei, nisi ab Episcopo exigatur, ut refert Nicolius lucubrat. canon. lib. 1. tit. 1. num. 6. verb. Concionatores. Item fidei professionem emittere tenentur Bibliopolæ, & Typographi; Concil. Provincial. Mediolanens. VI. verb. Librorum editio num. 21. Contra Lectores, Magistros, Rectores, vel Cancellarios Gymnasiorum, promovendos ad Doctoratus, aliosve recensitos in dict. Constit. Pii IV. incip. Sacrosancta: si non emittant fidei professionem, imponitur poena nullitatis actorum, & aliæ imponuntur contra Rectores, & Superiores quoscumque Universitatum, & Gymnasiorum; Pius IV. ib. Episcopus non exigens, nec recipiens à Doctoribus, & Scholaribus fidei professionem, incurrit poenam interdicti ab ingressu ecclesiæ; Pius IV. in dict. constitut. incipient. In Sacrosancta: Inferiores vero non recipientes ut supra, excommunicationis latæ sententiæ, privationis, dignitatum, be-

neficiorum, officiorum, & feudorum incurrunt poenam; Pius IV. ib.

Fidei professio est facienda à Græcis, & sub propria sua formula; Gregor. XIII. constitut. incip. Sanctissimus: Talis tamen formula reformata fuit ab Urbano VIII. quam refert Nicolius in suo compendio Episcop. verb. Fides: Fidei professio facta ab Imperatore Græcorum Lugduni eadem fuit cum illa, quam faciunt Latini; Gregorius X. constit. incip. Exultate.

Fidei professio simul, & specialis promissio de eadem usque in finem sincera cordis devotione, ac constantissime retinenda, debet emitti ab illis, qui ad sacros Ordines sunt promovendi; cap. Quamquam 6. dict. 23. Item fidei professionem facere tenentur promoti ad Episcopatum; cap. Qui Episcopus 2. dict. 23. 12 cap. Optatum 4. dist. 100. Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. Gregor. XIV. constit. incip. Onus Apostolicæ. Formam autem hujus professionis fidei, ac juramenti traditur in Pontificali Romano jussu Clementis VIII. edito; vid. verb. Episcopus art. 2. num. 17. & sequent. Omnes Episcopi in principio Concilii provincialis debent fidei professionem emittere, & jurare observantiam Sac. Concil. Tridentini, ut est injunctum in ipso Tridentino sess. 25. cap. 2. de reform. ubi insuper statuit, quod si quis renuerit, statim denuntietur Summo Pontifici à Coepiscopis sub poena divinæ indignationis, & interim prædictus renuens communione aliorum privetur. Item Beneficiati omnes, & ii, qui in synodo diocæsana convenire debent, fidei professionem tenentur emittere in prima Synodo, cui adfuerint; Conc. Trid. cit. sess. 25. cap. 2.

Canonici, & dignitates ecclesiæ cathedralis tenentur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses fidei professionem facere non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo; Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 12. vers. Provisi: & Pius IV. constit. incip. Injunctum Nobis: Hanc fidei professionem Canonici, & dignitates cathedralis tenentur facere per se ipsos personaliter, & non sufficit per procuratorem, ut pluries censuit Sac. Congreg. Conc. & signanter in Seguntina 18. April. 1590. & iterum in alia causa die 12. Sept. 1620., & in Calaguritana 22. Sept. 1696. & in Calbucen. 6. Febr. 1726. adeoque propter talia decreta non sunt attendendi Doctores sustinentes posse fidei professionem emitti per procuratorem specialiter Deputatum. Coadjutores Canonorum, seu dignitatum cathedralium de rigore Juris communis, seu Conc. Trident. non tenentur emittere professionem fidei, quia Coadjutor durante coadjutoria nondum est verus canonicus; Barbos. de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 61. num. 13. & 14. & de Canon. cap. 27. num. 12. Gonzalez ad regul. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 9. num. 100. Grazias de Benefic. cap. 4. cap. 5. num. 74. & 76. & alii passim. Nec talem fidei professionem tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, & alii provisi de capellaniis in ecclesia cathedrali; Barbosa lib. 1. Juris eccles. univers. cap. 2. num. 64. & de Canon. cap. 17. num. 13. Reiffenstuel lib. 1. decretal. tit. 1. §. 8. num. 166. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 5. num. 1. & alii passim; & ratio est, quia suprascripti omnes non comprehenduntur sub illis personis, quas Conc. Trid. cit. sess. 24. cap. 12. de reformat. & Pius IV. in constitut. incipient. Injunctum nobis: obligavit ad fidei professionem, ut legenti patet; unde eum ibi sancita à Tridentino, & Pio IV. sint poenalia, & novi Juris inductiva, non debent extendi ultra personas expressas, nam poenæ sunt restringendæ juxta Regul. 15. & 49. Juris in 6. Jurium enim correctio, quantum fieri potest, est evitanda, cap. Cum expediat, de election. in 6. proinde non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum; leg. Præcipimus Cod. de appell. Nec ad ipsam fidei professionem emittendam tenentur jure Trident. & cit. constitut. Pii IV. Canonici, & dignitates ecclesiarum collegiatarum, & possidentes beneficia inferiora non curata; sic decisum fuisse à Sac. Congreg. Conc. die 12. Febr. 1588. refert Garzias de benefic. part. 3. cap. 3. num. 11. & Barbosa in Sum-

ma Apostolicar. decis. verb. Professio fidei num. 6. Vide tamen *verb. Canonicus art. 4. num. 32. & 33.* & per totum articulum, ubi latæ de iis, quæ fidei professionem Canonicorum concernunt.

- 20 Prælati Regulares, qui præficiuntur monasteriis, conventibus, domibus, & aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine appellentur, eandem fidei professionem emittere tenentur intra duos menses ab adeptæ possessione suæ præfecturæ per extensionem factam à Pio IV. in dict. sua constitutione *incip.* Injunctum: Hanc tamen Pii IV. constitutionem quoad hoc non esse in usu, & sic Eminentissimos Cardinales, aliosque viros doctissimos consuluisse notat Hieronymus à Sorbo in compendio privilegiorum Mendicant. *verb.* Professio Fidei *notabil.* 1. & sic tenent Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 5. num. 3.* Portell. *in dub. Regul. verb.* Professio Fidei num. 3. Tamburin. *de Jur. Abbat. tom. 1. disput. 8. q. 3. num. 3.* Villalob. *in Summa tom. 2. tract. 1. difficult. 6. num. 3.* Diana *moral. resol. part. 3. tract. 2. resol. 78.* Reiffenstuel *lib. 1. decretal. tit. 1. num. 161.* & alii, qui dicunt, in iis Religionibus, in quibus viget contraria consuetudo, non teneri Prælatos earum ad emittendam Fidei professionem, & hoc per generalia Juris principia, quod in ipsis, vel d. constitutio Pii IV. quoad hoc numquam fuerit recepta, vel contraria consuetudine denuo abrogata; arg. *cap. Quanto 11. de consac.* Barbosa autem *de offic. & pot. Episc. part. 3. allegat. 61. num. 7.* cum variis aliis ibi citatis improbat istum non usum: Et idem Barbosa in *Summa Apost. decis. verb.* Professio Fidei num. 3. refert, Sacram Congregationem Conc. decrevisse, quod *professionem fidei emittere per Episcopos locorum Ordinarios, si ita illis videbitur, sunt compellendi Regulares, antequam prædicationis munus incipiant;* quod decretum, ut vides, concordat cum allato sub num. 4. in una *Brugnaten.* relato à Nicolio & clare demonstrat, quod Regulares Prædicatores tenentur solum Fidei professionem emittere, quando Ordinariis ita videtur, & ab illis exigitur.
- 22 Attendenda est hic sequens epistola Sacræ Congregat. Conc. directæ Eminentissimo, & Reverendissimo, Cardinali de Lambertinis, postea Summo Pontifici, & ab ipso relata *volumine tertio, notificatione 19. in fine,* ut sequitur.

Eminentissime, & Reverendiss. D. Observandiss.

Negotium, de quo agitur in adjunctis precibus nonnullorum Canonicorum istius Metropolitanæ, aliorumque Parochorum tam Civitatis quam diœcesis, Eminentissimi PP. Sac. Cong. Concilii remittendum esse duxerunt arbitrio, & prudentiæ Eminentissimæ Vestræ, cui proinde facultatem faciunt, ut Canonicos, & Parochos præscriptos, qui fidei professionem coram Ordinario, prout exponitur erronee, & contra dispositionem Sac. Conc. Trident. emittere prætermiserunt, ad novam fidei professionem faciendam coram Eminentia vestra, sive ejus Vicario Generali admittere possit, eisdemque fructus suorum respective beneficiorum à die adeptæ possessionis præceptorum, erogata tamen aliqua summa arbitrio Eminentissimæ Vestræ taxanda in eleemosynam Christi pauperum, liberaliter condonare valeat. Id Eminentissimæ Vestræ significo ejusque manus humillime deosculor. = Romæ 10 Novembris 1736. = Eminentissimæ Vestræ. = Humillim. & addictiss. Servus = A. Card. Gentili pro Eminentiss. Præfecto. = Gratis & quoad Scrituram. = Bononien. Eminentiss. Archiepiscopo = C. A. Archiepisc. Philippen. Secret.

Alia ad rem. Vide *verb. Canonicatus art. 4. per totum.*

De materia hujus articuli, vide quæ diximus in additione ad *verbum Benefic. art. 1.* tum in additione ad *verbum Canonicus art. 4.*

- 24 Fidei professio exposcitur à Græcis ad unitatem catholicæ ecclesiæ redeuntibus; Benedict. XIV. constitut. *incip.* Allatæ sunt §. 17.

- 25 Fidem virtualiter negat Christifidelis, qui ad reli-

gionem occultandam, & poenam aliquam declinandam, aut captandam utilitatem, mahumetanum nomen assumit, & ob id ad Sacramentorum participationem non est admittendus; Benedictus XIV. constitut. *incip.* Quod provinciale, merito tota legenda, & observanda.

Fidei, Spei, & Charitatis actus à Parocho elata voce emittendi in missa parochiali; Vide infra sub *verb. Parochus.* D

FILIUS, FILII.

SUMMARIUM.

- 1 **F**ILII alii sunt legitimi, & illegitimi alii: qui legitimi, & naturales: ex clandestino matrimonio an sint legitimi: quæ qualitas in filiis ex parentibus impedimentum non ignorantibus: quid, si unus tantum sciverit, alter bona fide contraxit: si dubium intercesserit, ad num. 7.
- 8 Qui filii legitimi censeantur, si septimo, decimo, & undecimo mense nati fuissent: quando intelligatur adulterinus, ad num. 16.
- 17 Filii expositi, quorum parentes ignorantur, an sint legitimi, ad num. 20.
- 21 Illegitimi qui sint: naturales alii: alii spurii, & alii ex damnato coitu: naturales qui dicantur jure canonico, & civili: ex scorio, seu meretrice natis quod nomen aptatur: ex concubina: Spurii jure canonico qui sint, & jure civili, ad num. 29.
- 30 Quod nomen conveniat ex damnato natis: diversa nomina recognoscuntur in eis, qui vocantur Spurii, aut coitu damnabili nati: qui per subsequens matrimonium legitimentur: quid in Spuriis: quos effectus habeat legitimatio, sive fiat per matrimonium, rescriptum principis, seu privilegio apostolico, ad num. 69.
- 70 Circa beneficia quid in filiis presbyterorum, quamvis legitimi fuerint, ad num. 76.
- 77 Quas obligationes filius parentibus teneatur præstare: contra eas quando graviter peccet: differentia inter bona filiorum designatur: an peccet filius aliquid de bonis paternis surripiens, & expendit in res turpes: an laboranti in domo patris salarium debeatur: in concursu necessitatis aliorum, cum patre, uxore, & filiis suis, filius cui subvenire debeat: quid de eo, qui religionem fuit ingressus, ad num. 105.
- 106 Vendi an possit filius, patre in extrema necessitate constituto: distinctio advertitur inter cælibes, Sacris initiatos, & copulatos matrimonio: an eadem venditio à matre, & avo possit fieri, ad numer. 112.
- 113 Utrum matre asserente non esse legitimum sit credendum: quando, aut quomodo à patria potestate filius liberetur: à quo iste est alendus: quæ obligatio ex parte matris, possit, vel non filium lactare: deficiente patre obligatio alimentorum cui incumbat, sive legitimi sive spurii fuerint: quid in filiis spiritualibus, ad num. 136.
- 137 Exhæredatio filiorum ob quas causas competat: designatur quid possint circa sua bona: an eleemosynas valeant efficere, remissive, etiamque de filiis expositis, ad num. 140.
- 141 Ad restitutionem mutui quando teneatur, remissive.
- 142 Auctoris Additio inseritur, ad num. 151.
- 152 Novæ additiones ex aliena manu, ad num. 170.

FILII alii sunt legitimi, & alii illegitimi; Communis. Legitimi vel sunt legitimi tantum, quales sunt filii adoptivi, qui non à natura, sed à sola lege filii facti sunt; vel sunt legitimi, & naturales simul, & isti filii legitimi, & naturales sunt, & dicuntur omnes illi, qui ex vere legitimo matrimonio, aut saltem putative tali, publice, seu in facie ecclesiæ absque contradictione, ac bona fide inito, nati existunt; Communis arg. l. filium 6. ff.

ff. de his, qui sui, vel alieni, & princip. Instit. de patria potest. & cap. Cum inter 2. Qui filii sint legitimi, ubi filii nati etiam in putativo matrimonio declarantur legitimi præcisus his verbis: »Filii eorum (qui bona fide nulliter contraxerant) non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publice, & sine contradictione ecclesiæ, inter se contraxisse noscantur; Ideoque sancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, & concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi, & quod in bona paterna hæreditario jure succedant, & de parentum facultatibus nutriantur.» Dicitur autem notanter, aut saltem putative tali publice, seu in facie ecclesiæ, & absque contradictione inito quia in cap. Cum inhibito 3. de olandest. despons. expresse statuitur, quod si quis clandestine, seu sine præviis denuntiationibus, aut contradicente Episcopo, vel Parocho, matrimonium inire præsumserit in gradu prohibito (Consanguinitatis v. gr. vel Affinitatis) etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. Et subjungitur ratio his verbis; Cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantie videantur.

Dicitur etiam notanter ac bona fide inito, quia in dict. cap. Cum inhibito statim sic expresse subjungitur; Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumserint. Si autem unus tantum ex conjugibus ante matrimonium, vel ejus consummationem scivit impedimentum dirimens, alter vero idem ignorans bona fide contraxit, & consummavit matrimonium, filii inde nati reputantur legitimi, quia textus cit. c. Cum inhibito, dicit ambo parentes, & sic recte docet Glossa communiter recepta ibidem in d. verb. Ambo parentes: & habetur clare in cap. Ex tenore 14. Qui filii sint legitimi, & tenent ibi Barb. num. 1. & Abbas num. 3. & alii communiter.

Talis vero bona fides ex parte saltem unius conjugis debet perseverare, & adesse etiam tempore conceptionis, aliter si ante prolis conceptionem ei innotescat impedimentum dirimens, & consequenter bona fides cesset, proles erit illegitima, arg. c. Ex tenore 14. Qui filii sint legitimi; Pirhing. l. 4. dec. tit. 17. num. 14. Pontius l. 11. cap. 8. num. 3. & communis aliorum.

Si cum dubio de latente impedimento, & non adhibita debita diligentia ad indagandam veritatem conjuges contrahant, & consumment matrimonium, & postea impedimentum detegatur, filii ex tali matrimonio procreati, erunt illegitimi; c. Cum inhibito 3. de clandestina desponsat. Et ratio est, quia adesset ignorantia affectata, quæ æquiparatur scientiæ; arg. l. Ne supina num. 6. ff. de Jur. & fact. ignorant. & cap. Eos 2. de temp. ord. in 6. ibi: Qui scienter vel affectata ignorantia. (Vid. verb. Ignorantia.) Si autem dubium superveniat matrimonio jam contracto, & consummato, filii concepti stante hoc dubio erunt legitimi, quamvis lis de valore matrimonii in foro externo esses mota & adhuc pendens, dummodo ante sententiam sint concepti; arg. cap. Cum inter 2. Qui filii sint legitimi, ibi: »Qui concepti fuerant ante sententiam, non minus habeantur legitimi,» & sic Barb. ibid. cum communi aliorum.

(Postquam recognoscas quæ in addit. hispan. præsertim verb. Successio ab intestato, vide tit. 13. 15. & 16. p. 4. In primo determinatur, quales sint filii legitimi: In secundo, illegitimi: In tertio, de adoptivis tractatur. Etiam tit. 13. p. 6. Circa ex num. 2. adnotata vid. leg. 3. tit. 3. p. 4. 1. citat. tit. 13. & 2. tit. 15. quæ pene cum eadem doctrina conveniunt. Lex 17. tit. 6. lib. 3. For. Reg. ad idem dirigitur.)

Filii nati septimo mense post initum matrimonium habendi sunt pro legitimis, textu expresso in Septimo 12. ff. de statu hominum, ibi: Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est propter auctoritatem Doctissimi viri Hippocratis, & idcirco credendum est, eum, qui justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse.

Etiam si nascantur ad initium dicti mensis; arg. l. In-

testato 3. §. fin. ff. de suis, & legit. ubi expresse deducitur, eum, qui centesimo octogesimo secundo, idest 182. die natus est, justo tempore videri natum, quod tempus, ut clare patet; septem menses solum inchoatos constituit. Sic etiam legitimi sunt habendi filii illi, qui nascuntur mense decimo; l. Gallus 29. ff. de Liber. & Post. ibi Si post mortem in decem mensibus proximis natus erit hæres sunt. Filii autem, qui undecimo mense jam completo nascuntur, ordinarie pro illegitimis habentur; leg. Intestato ff. de suis & Legit. & Novel. 29. cap. 2. ibi: Mulier &c. undecimo mense perfecto peperit, ut non esset possibile dicere quia de defuncto fuisset partus, neque enim in tantum tempus conceptionis extensum est. Dicitur tamen notanter Undecimo mense jam completo, quia Gloss. ad citat. Novellam verb. Perfecto: vult, quod si filii nascantur duobus diebus post decem menses, immo etiam circa medium undecimi mensis, ut cum aliis vult Engel lib. 4. decr. tit. 17. n. 7. Reiffenstuel ibid. num. 22. Haunoldus de Instit. & Jur. tract. 4. num. 139. censendi sint legitimi, maxime si mater existat bonæ famæ, castis, & honestis prædita moribus, & maritus usque ad ultimos suæ vitæ dies fuerit ad generandum aptus; argum. cit. Novellæ 39. cap. 2. ubi Imperator loquitur de undecimo mense perfecto, seu completo, ibi: Undecimo mense perfecto peperit. Immo multi volunt, quod in casu extraordinario etiam post completum undecimum mensem filius natus reputandus sit legitimus, maxime si mater nedum sit optimæ famæ, sed etiam sit specialis cujusdam corporalis dispositionis, & complexionis, seu alia in ipsa concurrant, propter quæ ex Medicorum judicio potuerit sic tarde parere, ut quibusdam adductis exemplis probat sic evenisse Gothofredus in Not. ad cit. Novellam 39. cap. 2. lit. C. (Quæ ex num. 8. nunc usque proponuntur, ex leg. 4. tit. 23. p. 4. confirmationem accipiunt.) Quinimmo ex Judicio Parisiensi fuit reputatus legitimus partus quatuordecim mensium ex eo, quod inter alia concurrentia mater esset honestissimis prædita moribus, ut refert Reiffenstuel l. c. n. 23. & ratio est, quia delictum non præsumitur, donec probetur, arg. l. Merito 61. ff. pro socio, & c. Estote 2. de Reg. Juris (Lit. I. pag. 82. ad num. 14.) & in dubio favore innocentium prolium sentiendum, ac judicandum est, arg. c. Ex tenore 14. Qui filii sint legitimi, ibi: In favorem prolis potius declinamus. (Ad rem Glos. D. Gregor. Lop. in leg. 41. tit. 6. p. 1. 1. tit. 13. 3. tit. 21. p. 4. 1. tit. 13. ibi: en esta duda p. 4.) & l. Nuper C. de Naturalibus liber, ibi: Et hoc favore sancimus liberorum. Accedit, quod In dubiis semper benigniora præferenda sint; l. Semper 56. ff. de Regula Juris. (Lit. A. pag. 112. n. 107. & pag. 249. num. 27. prope med.)

Filii stante matrimonio nati censendi sunt legitimi, quamvis constet uxorem pluries adulterasse, & ipsi filii magis assimilentur adultero, quam matris marito; arg. l. Titium ff. de his qui sui vel alieni Jur. ibi: Non tamen ferendum, Julianus ait, eum, qui cum uxore sua assiduo moratus noluit filium agnoscere quasi suum; Et l. Miles 11. §. Defuncto ff. ad Leg. Jul. de Adulter. ibi: Nam non utique crimen adulterii, quod mulieri, Infantem præjudicat: cum possit, & illa adultera esse, & impubes defunctum patrem habuisse. In dubio enim favendum est proli; arg. cit. cap. Ex tenore, & cit. l. Nuper. Limita tamen in casu, quo ex mariti absentia, infirmitate, seu impotentia, vel alio impedimento probetur tempore conceptionis non potuisse maritum copulam habere cum uxore, tunc enim filius sic natus, esset censendus illegitimus; argum. c. Causam 4. Qui filii sint legitimi, & l. Filium 6. de his qui sui vel alieni, ibi: Mihi videtur, si constat aliquandiu maritum cum uxore non concubuisse infirmitate interveniente, vel alia causa... ut generare non possit, hunc, qui in domo natus est, licet vicinis scientibus filium non esse: Communis. (Consonat lex 9. tit. 14. p. 3. & glos. D. Gregor. Lopez ad dict. leg. 41.)

Filii censendi sunt legitimi, quamvis mater fateatur eos esse adulterinos; argum. cap. Per tuas, de probationib. Barbosa ibid. num. 3. & Abbas num. 4. Engel loc. cit. num. 3. Reiffenstuel. loc. num. 11. ubi asserit,

- quod Legistæ communiter reputant fatuum filium, qui credit matri asserenti eum ex adulterio esse natum; alleganti enim suam turpitudinem nulla cum alterius præjudicio debet fides; *cap. Officii 9. & ibi Gloss. de pœnitent. & remiss. Nicolius in Flosculis verb. Fides num. 14.* aliter mater odio habens aliquem filium facile posset ei præjudicare, & hæreditatem ei auferre.
- 17 Filios quoque expositos, quorum parentes ignorantur, censendos esse legitimos tenet Menochius *de præsumtionib. lib. 5. quæst. 54. num. 20. Mascard. de probationib. conclus. 799. Gonzalez in cap. Conquestus 1. Qui filii sint legitimi num. 8. Reiffenstuel l. cit. num. 14. Barbosa tit. de infant. & languid. exposit. num. 3. & de off. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 51. num. 150.* ubi dicit, hanc sententiam esse magis communem, & pro ea citat plusquam 24. Doctores, qui moventur ea ratione, quia in dubio sumenda est conjectura, quæ delicti præsumtionem excludat, cum delictum non præsumatur, donec probetur; *arg. l. Merit. 51. ff. pro socio, & cap. Estote 2. de Regul. Juris.* Adducunt enim *c. Lator 5. & c. Pervenit 11. Qui filii sint legitimi*, ubi adversario injungitur onus probandi illegitimum esse filium; Et affertur etiam *cap. Ex tenore 14. Qui filii sint legitimi, & l. Nuper Cod. de Natural. lib. 2.* ubi in dubio fit præsumtio pro favore prolis per verba adducta *sub num. 13.* Non enim solum ob pudorem, & metum infamiae, sed etiam ob necessitatem parentum instans periculum, vel aliam urgentem causam liberi exponi solent, ut patet in Moyse, Paride, & alii. Vide infra *num. 113. & seq.*
- (Circa filios expositos *vid. lit. A. pag. 65. col. 1. Non officit perlegere addition. nov. hisp. pag. 109. col. 1. in princip.*)
- 18 Quod autem tales infantes expositi illegitimi censi debeant, docent multi Doctores apud Amostaz. *de causis piis lib. 4. cap. 11. num. 73.* & juxta communio-rem, & tutiorem sententiam late Pignatell. *tom. 7. consult. 34. per tot. Garzias de benefic. part. 7. c. 2. n. 9. & seq.* ubi quod debeat attendi universalis causa projectionis, quæ verificari solet in illegitimis, Corrad. *in prax. disp. lib. 3. cap. 2. num. 1. Rota in novis. decis. 790. num. 2. Seraph. decis. 1801. num. 3.* ubi docet expositionem infantis in hospitali Sancti Spiritus Urbis valde repugnare legitimæ filiationi; & Romæ expositi apud hospitale prædictum pro illegitimis ab omnibus habentur, & dispensatione indigent. Mandos. apud Garziam *cit. part. 7. cap. 2. num. 6. Corrad. cit. Gratian. disceptat. 34. num. 31. Garzias in addit. ad part. 7. cap. 7. n. 7. Cardinal. Petra comment. 22. Sixti IV. num. 14. ubi sub num. 11.* cum variis aliis dicit, quod tenenda sit tutior opinio, nempe quod censi debeant illegitimi, quoad suscipiendos ordines, & indigeant dispensatione, cum urgens conjectura sit pro illegitimate eorum projectio.
- 20 Et Sac. Congregat. Concilii in Sulmonensi 22. Febr. 1710. censuit: *in casu, de quo agitur pro dispensatione ad cautelam*, qui aderant conjecturæ hinc inde pro legitimitate, vel illegitimitate. Et hanc sententiam comprobatur praxis Romanæ Curiae, cum obtineantur pro expositis dispensationes apostolicæ ad sacros ordines, Corradus *cit. num. 2. & n. 9.* dicit hospitale Sanctissimæ Annuntiationis Neapoli obtinuisse privilegium, quod inibi expositi promoveri valeant ad ordines per Archiepiscopum Neapolitanum sine alia dispensatione, sicque hoc privilegium præsupponit illegitimitatem eorum.
- 21 Filii illegitimi sunt illi, qui non nascuntur ex matrimonio legitimo, vel saltem putative tali, bonaque fide in facie ecclesiæ contracto; *Communis, arg. leg. Filium 6. de his qui sui, vel alieni, & princ. Institut. de patria potest. & cap. Cum inter 2. Qui filii sint legitimi, & cap. Cum inhibito 3. de clandestina desponsa-*

zione. Filii illegitimi alii sunt, & dicuntur *naturales*, 22 alii *Spurii*, & alii *ex damnato coitu*. Naturales de Jure 23 canonico sunt illi, qui nati sunt à parentibus solutis, inter quos tempore conceptionis, vel saltem nativitatis suæ poterat esse legitimum matrimonium, sive dein mater fuerit meretrix publica, sive concubina patris: *Communie. De Jure tamen civili soli illi dicuntur Naturales*, 24 qui nati sunt ex concubina soluta domi retenta à soluto loco uxoris, & non ex furtivo accessu, *leg. 1. & seq. ff. de concub.* Illi qui nascuntur ex scorto, seu publica meretrice, solent vocari *Manzeres*, vel *Manzeres*: *Glossa in cap. Nisi cum pridem 10. de renunciat. verb. Manzeres.* Illi qui nascuntur ex soluta, quæ nec 25 est concubina, nec publica meretrix, dicuntur *Bastardi*; *Reiffenstuel l. 4. decret. tit. 17. n. 25. in fin.* 26

Spurii de Jure canonico vocantur illi, qui sunt nati 27 à parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis non poterat esse matrimonium, *argum. c. Quanta 3. Pui filii sint legitimi, & dicuntur Spurii à spurcitia per leges reprobata; Reiffenstuel l. 1. decretal. tit. 17. num. 2.* De Jure civili autem non solum præfati, sed 28 etiam illi *Spurii* dicuntur, qui à meretrice pluribus accessum præbente, ita ut certus pater demonstrari nequeat, gignuntur; *argum. l. Vulgo 23. ff. de statu hominum. ibi: Vulgo quæsi eunt qui patrem demonstrare non possunt, vel possunt quidem, sed sum habent, quem habere non licet, qui & spurii appellantur.* Ex qua lege, 29 ut vides, *Spurii* appellantur etiam *Quæsi*.

Filii *ex damnato coitu* dicuntur illi, qui nascuntur 30 à parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis potuit esse matrimonium; *Novella 74. cap. 6.* Unde nati ex damnato coitu de Jure canonico cum spurii conveniunt. Immo etiam de Jure civili, excepto quod nati ex concubina de Jure civili etiam *Spurii*, non vero ex damnato coitu vocari possunt; *leg. 1. & seq. ff. de concubin.* qui tamen concubinitus pes leges ecclesiæ sublatus est; *cap. Nemo 4. caus. 32. q. 4. Concil. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. Horum Spuriarum, seu natorum ex damnato coitu alii 31 sunt, & vocantur Nothi, qui videlicet nascuntur ex conjugato, & soluta; Reiffenst. l. 1. decretal. tit. 17. num. 2.* Alii *adulterini*, qui scilicet ex adulterio ex parte utriusque gignuntur. Alii *Sacrilegi*, idest qui ex Religioso, aut Moniali, vel Clerico in Sacris constituto generantur. Alii *Incestuosi*, qui nempe ex parentibus affinitate, vel consanguinitate collateraliter conjunctis nascuntur; §. *Inter eas, Instit. de Nuptiis.* Alii *Nefarii*, idest qui ex patre, & filia aliorumque ascendentium, & descendentium copula procreantur; §. *Ergo, instit. de Nuptiis.* (Fere in totum conveniunt *leg. 1. aliquid 2. tit. 15. p. 4. Conducit lex 11. tit. 13. p. 6. Ne obliviscaris verb. Successio ab intestato.*)

Filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens 32 matrimonium inter parentes eorum legitime contractum; *cap. Conquestus 1. & cap. Tanta 6. Qui filii sint legitimi, ibi: Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Concordat *l. Divi Constantini 5. l. Nuper 11. Cum quis 17. Cod. de natur. liber. (Leg. 1. ibi: Otrosi son:: tit. 13. p. 4. leg. 2. tit. 6. lib. 3. For. Reg.)* Etiam si matrimonio non sit consummatum, sed præcise ratum; *Engel lib. 4. decret. tit. 17. num. 9. Pirhing. ib. n. 36. Reiffenst. ib. num. 13. Barbosa in cap. Tanta 6. Qui filii sint legitimi, & alii communiter.* Et hoc quamvis ma- 34 trimonium contrahatur à senibus infirmis, aut etiam in periculo mortis; *Barbosa loc. cit. num. 8. Pirhing. loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. num. 32. Covar. part. 2. de matrim. cap. 8. §. 2. num. 10. Pontius lib. 11. cap. 1. §. 2. num. 16. Azorius tom. 3. lib. 2. cap. 13. q. 11. & communis aliorum.* Sive matrimonium immediate, vel me- 35 dia-

☉ Filii, jure nostro, pro naturalibus reputantur, quorum pater & mater conceptionis, & nativitatis tempore sine dispensatione matrimonium contrahere poterant, & eos ille recognoscat; (1) per consequens non erit satagendum, an ex concubina soluta, domi retenta, fuerint procreati, ut A. manifestat.

(1) Vid. verb. Dos. art. 3.

diate sequatur generationem filii illegitime nati, adeo ut legitimetur filius, quamvis pater ejus non statim cum matre, sed cum alia prius contrahat, & postea hac defuncta, matrimonium ineat cum matre filii illegitimi; Pirhing. *loc. cit. num. 36.* Reiffenst. *loc. cit. num. 13.* Pontius *loc. cit. num. 15.* Abbas *in cap. Tanta 6. Qui filii sint legitimi num. 3.* Barbos. *ib. num. 7.* & alii communiter. Et ratio est, quia Jura allegata supra *num. 32.* plus non requirunt, quam ut matrimonium legitimum inter parentes prolis illegitimæ sequatur, nec specificant an mediate, vel immediate fieri debeat, & ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia circa 22. de privileg. & l. De pretio ff. de Publiciana in rem action. eo vel maxime quod favores sunt ampliandi; cap. Odia 15. de Regul. Jur. in 6. ibi: O lia restringi, & favores convenit ampliari, præsertim quando agitur de favore liberorum; c. Ex tenore 14. Qui filii sint legitimi, ibi: In favorem prolis potius inclinamus.*

36 Filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium, etiamsi fuerit clandestine contractum, dummodo fuerit validum, uti est in locis, ubi Concil. Trident. in disciplinalibus non est receptum; Barbos. *in cit. c. Tanta 6. Qui filii sint legitimi, Sanchez l. 3. disp. 44. n. 2. Pirhing. loc. cit. n. 36. Reiffenstuel loc. c. n. 34. & alii. (Vid. lit. D. pag. 59. col. 1. in nov. add. hisp. Idem lex. 1. tit. 13. p. 4. & 2. tit. 6. lib. 3. For. Reg.)* Quinimmo
37 filii illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium, etiamsi tale matrimonium, non sit verum, sed tantum putativum ratione bonæ fidei, ut verum existimatum; Si quis enim ex consanguinea fornicario concubitu suscipiat prolem, & postea ignarus consanguinitatis cum ea contrahat bona fide matrimonium, proles illa erit legitima ratione talis subsequentis matrimonii; *argum. cap. Ex tenore 14. Qui filii sint legitimi, Gonzalez in c. Cum inter 2. eodem tit. num. 6. Pirhing. loc. cit. n. 36. Pontius l. 7. cap. 1. §. 2. num. 13. Covarruv. in 4. decretal. part. 2. cap. 8. §. 2. Gabriel. in commun. conclus. lib. 6. de legitim. conclus. 1. num. 4. & 5. & alii.* Et ratio est, quia filii nati ex putativo matrimonio pro legitimis declarantur, textu expresso *in cap. Cum inter 2. Qui filii sint legitimi;* ergo filii prius illegitime nati per subsequens putativum matrimonium legitimantur, non enim apparet ratio, cur idem matrimonium putativum habeat vim faciendi ut filii legitime nascantur, & non habeat vim legitimandi filios prius illegitime natos. Tum quia in dubiis favorabilior Juris interpretatio est assumenda, *cap. Estote 2. de Regulis Juris,* præsertim cum agitur de favore liberorum; *cap. Ex tenore 14. Qui filii sint legitimi. (Vid. supra num. 13.)* Non desunt tamesi
38 magni nominis Doctores contrarium sentientes, ut Abbas *in cap. Tanta 6. Qui filii sint legit. Engel l. 4. decret. tit. 17. num. 9. Reiffenstuel ib. num. 36. Zoesius ib. num. 13. Fachin. l. 1. contrav. cap. 45. Molina tom. 1. tract. 2. de justitia & jure, disp. 172. num. 11. & alii.*

39 Fili Spurii, seu nati ex damnato coitu, idest parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec nativitatis poterat esse matrimonium, per subsequens matrimonium non legitimantur; *Communis Doctorum argum. cit. cap. Tanta 6. filii sint legitimi,* in cujus sumario sic præcise habetur: *Naturales legitimantur per subsequens parentum conjugium, Spurii vero non.* Hoc tamen
40 procedit solum in casu quo uterque parens scit tale impedimentum contrahendi inter se pro tunc matrimonium, ex quo v. g. unus reperiatur uxoratus, si & sic filius sciente utroque parente susceptus sit ex adulterio. Non autem in casu, quo unus ex parentibus sciverit, & alter ignoraverit; tunc enim bona fides alterutrius parentis ignorantis adulterium facit, ut filius ille legitimus fiat subsecuto inter eosdem parentes matrimonio, textu expresso *in cap. Ex tenore 14. Qui filii sint legiti-*

41 *timi, & tenet Communis Doctorum.* Dicitur autem notanter, *inter quos nec tempore conceptionis, nec nativitatis poterat esse matrimonium,* quia si parentes fuerint inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium pro tempore, quo fuit concepta proles, & facti sint habiles pro tempore quo proles nata est, ut v. g. vir vivente uxore sua aliam imprægnat, & postea uxor moria-

tur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta legitimatur per subsequens parentum matrimonium; Engel *lib. 4. decretal. tit. 17. n. 11. Reiffenstuel ibid. num. 39. Covarr. de matr. part. 2. c. 8. §. 2. num. 2. Pontius lib. 11. cap. 3. num. 2. Sanchez l. 8. disput. 7. num. 19. Molina cit. disp. 172. n. 4. & alii plurimi.* Et ratio est, quia universaliter in quæstionibus, in quibus est dubitatio de statu liberorum, attenditur tempus partus, vel conceptionis, prout nempe exigit favor aut utilitas liberorum, textu expresso *in l. Nuper 11. Cod. de natural. lib. concordat Novell. 89. c. 8.* Sic etiam per subsequens matrimonium legitimatur proles concepta tempore, quo parentes ratione affinitatis, vel consanguinitatis erant inhabiles ad contrahendum inter se, si ante nativitatem sublato per dispensationem apostolicam impedimento, facti sint habiles, & matrimonium contraxerint; Barbosa *in cap. Tanta 9. Qui filii sint legitimi num. 31. Reiffenstuel loc. cit. num. 41. & alii passim.*

Legitimati per subsequens matrimonium habentur 43 in omnibus pro veris legitimis, perinde ac si ab initio ex legitimo matrimonio concepti fuissent, unde æque ac legitime concepti succedunt in hæreditate ex testamento, & ab intestato, sunt habiles ad Ordines, & dignitates, tum seculares, tum ecclesiasticas, *arg. cit. cap. Tanta, & l. Cum quis 19. de natural. lib. Novell. 20. cap. 4. Novell. 74. cap. 2. §. 2. Institut. de hæred. intest. & sic communis Doctorum cum Glossa in cit. cap. Tanta verb. Legitimi::* ubi pro ratione adducit, quod subsequens matrimonium omnia præcedentia purgat. Legitimatis per subsequens matrimonium possunt dari literæ, seu attestations, quod sint legitime nati, & sic legitimati veniunt in dispositione hominum, & statutorum volentium, quod quis debeat esse legitime natus; Richaer. *part. 2. dec. 80. num. 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 43.* Ex speciali tamen dispositione Sixti V. facta 45 anno 1590. in constit. *incip. Post quam verus::* tales legitimati per subsequens matrimonium non possunt promoveri ad Cardinalatum.

Filii illegitimi, nedum legitimantur per subsequens 46 matrimonium, sed etiam per rescriptum Principis; *Communis.* Et quidem Papa habet potestatem legitimandi illegitimos quoad ordines, honores, dignitates ac beneficia ecclesiastica ubique terrarum, & quoad successionem hæreditariam, honores, & dignitates seculares in Terris temporali suæ jurisdictioni immediatæ subjectis, *Communis,* textu expresso *in cap. Venerabilem 13. Qui filii sint legitimi.* Immo potest Papa legitimare illegitimos quoscumque etiam quoad successionem in hæreditate, & bonis temporalibus in terris alienis, non tamen solet regulariter hoc facere; Pirhing. *lib. 4. decretal. tit. 17. num. 43. Barbosa in cit. cap. Per Venerabilem 13. Qui filii sint legitimi, num. 3.* ubi pro hac sententia citat Hostiensem, Goffredum, Germonium, Præpositum, & S. Rotam Romanam, quæ, ut observat ipse, reprobabat omnes alios contrarium sentientes. Et revera in casu 48 extraordinario, & ubi communis necessitas, vel alia ardua causa urgeat, posse Papam legitimare quoad temporalia etiam illegitimum non subditum, ultra quam quod concedunt omnes Doctores, habetur expresse *in citat. Cap. Per Venerabilem §. Rationibus igitur::* ubi Papa dicit, hoc ei competere, tam ex veteri, quam ex novo testamento, ibi: *»Causam tam ex veteri, quam »ex novo testamento trahentes, quod non solum in »ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporali- »bus gerimus potestatem) verum etiam in aliis regio- »nibus, certis causis inspectis temporalem jurisdictionem »casualiter exercemus.»*

Principes supremi superiorem non agnoscentes pos- 49 sunt legitimare suos subditos seculares illegitime natos; *Communis, ac certa.* Ex privilegio possunt legitimare etiam Legati Sedis Apostolicæ, & Comites Palatini, *Communis.* Ad quos autem illegitimos, & ad quæ se extendat eorum facultas legitimandi, desumendum est tenore rescripti, aut privilegii à Supremo respective Principe eis concessi, quia eorum facultas non potest se extendere ultra tenorem rescripti, *arg. Cap. Cum di-* 52
lec-

lecta 22. de Rescrit. & leg. Diligenter ff. mandati. De jure solum illegitimi naturales, de consuetudine autem solent legitimari rescrito Principis etiam omnes alii illegitimi; *Communis*. Legitimati rescrito Principis secularis non fiunt habiles, nisi ad effectus politicos, & seculares, & nullatenus ad effectus ecclesiasticos; *Communis*. Legitimati vero à Papa fiunt habiles ad effectus ecclesiasticos, & ad effectus politicos, maxime existentes sub ejus jurisdictione temporali; *Communis*. Legitimati per subsequens matrimonium per omnia æquiparantur legitime natis, & etiam vocari possunt legitime nati, & comprehenduntur in dispositione hominum, & statutorum requirentium, ut quis sit legitime natus; *arg. leg. Cum quis* 10. de natur. lib. Novell. 12. cap. 4. Novell. 71. cap. 2. §. 24. Institut. de Hæred. ab intest. & Cap. Tanta 6. Qui filii sint legitimi, & ibi Glossa communiter recepta. Non sic autem legitimati per rescritum Principis, qui in iis tantum æquiparantur legitime natis, ad quæ se extendit gratia rescriti, quod est maxime attendendum; *arg. c. Cum dilecta* 22. de Rescritis.

Illegitimi omnes prohibentur ordinari, nisi vel religionem approbatam ingrediantur, vel cum aliquo rite fuerit dispensatum, textu expresso in cap. Ut filii 1. de filiis Presbyterorum ordinandis vel non, & in cap. Is, qui 1. eodem tit. in 6. Illegitimi, si Religionem approbatam ingrediantur, possunt ordinari, non vero ad Prælaturam assumi; *Cap. Presbyterorum*, 1. dist. 56. & cit. *Cap. Ut filii*: Ad ordines majores & beneficia curata; sicut & dignitates, personatus, atque canonicatus cathedralium ecclesiarum dispensat cum illegitimis solus Papa, & is, cui hanc facultatem ex speciali privilegio concesserit; *Communis*. Et ratio est, quia irregularitas ex defectu natalium proveniens, est solius Juris positivi humani, seu ecclesiastici, supra quod sine dubio Papa, & is, cui id concesserit, potest dispensare, textu expresso in cap. Proposuit 4. de concession. Præbendæ. Et quod solus Papa possit dispensare ad supradicta, patet ex cap. Nimis 18. filiis Presbyterorum & c. & Cap. Is, qui 1. eod. tit. in 6. & cap. Quamvis 4. de Præbendis in 6. Episcopus cum illegitimis dispensat quoad ordines minores, ac beneficium simplex, & ad canonicatus ecclesiæ collegiatae, quoties non requirunt Ordinem Sacrum, *Cap. Is, qui* 1. de filiis Presbyterorum in 6. Barbos. de offic. & potest. Episc. part. 2. alleg. 42. num. 20. & de Canonicis, & Dignitatib. c. 13. num. 25. Zerola in praxi Episcoporum. quæst. 1. verb. Canonica, Garzias de Benefic. part. 7. cap. 2. num. 69. Reiffenstuel lib. 1. decretal. tit. 17. num. 11. & alii passim.

Dicitur autem, quoties non requirunt Ordinem Sacrum, quia, cum in tali Ordine nequeat dispensare Episcopus cum illegitimis, ex cap. Ut filii Presbyterorum, & cap. Is, qui 1. eod. tit. in 6. neque poterit dispensare in beneficiis simplicibus, & canonicatibus collegiatae, quoties requirunt Sacrum Ordinem; *arg. cap. Translato* 3. de Constit. ac notat Glossa in cap. Is qui 1. verb. Tale, de filiis Presbyterorum in 6. Capitulum Sede vacante potest Episcopus, cum succedat Episcopo in iis, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, sicuti est talis dispensatio; Zerola part. 2. praxis Episc. vers. Capitulum, §. Tertio, Navarrus consil. 7. de Filiis Presbyterorum; Barbos. loc. cit. num. 25. Reiffenstuel loc. cit. n. 15. & alii passim.

Filius illegitimus dispensatus ad Ordines minores, non censetur dispensatus ad beneficium etiam simplex, quia hæc duo sunt separabilia, atque executio Ordinum potest stare sine beneficio, Barb. in tract. de Appellativa verborum significat. verb. Ordo in 6. Reiffenstuel loc. cit. num. 21. Garzias de beneficiis part. 1. cap. 6. num. 70. & seq. cum aliis ibi citatis. Si vero sit dispensatus ad Ordines Sacros, hoc ipso videtur dispensatus ad obtinendum simplex Beneficium, ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur; *arg. Cap. Proposuit* 6. de Filiis Presbyterorum, ibi: "Quia indignum est, ne ipse postquam est in Subdiaconatu ordinatus omnino debeat ecclesiastici beneficii provisione carere &c." & ibi Glossa verb. Carere: Abbas num. 1. & alii.

Illegitimus simpliciter dispensatus ad Beneficia non potest obtinere nisi unicum, non autem duo simul, textu ex-

presso in cap. Is, qui 1. de filiis Presbyterorum in 6. §. Ille vero, ibi: Nisi unicum Beneficium obtinere. Sic dispensatus simpliciter ad beneficium potest solummodo obtinere simplex, non autem beneficium curatum, dignitatem, aut personatum; Garzias de beneficiis part. 1. cap. 6. num. 59. citans Rotam decis. 2. de filiis Presbyterorum in novis; Rebuff. tit. de dispensatione super defectu natalium num. 51. & seq. Reiffenstuel loc. cit. num. 19. Barbosa, & alii passim. Et ratio est, quia talis dispensatio veluti odiosa est stricte interpretanda, sicque ly Beneficium simpliciter positum pro solo simplici accipi debet, *arg. Cap. Nimis* 18. de filiis Presbyterorum & cap. Is, qui 1. eodem in 6. & Cap. Quamvis plenissima 4. de præbend. in 6.

(Quod legitimentur per subsequens matrimonium, aut principis rescritum, omnibus patet: Vid. præter ea, quæ verbo Legitima, vers. Quamvis: & verb. successio ab intestato in addit. hisp. proponuntur, leg. 1. tit. 13. ac 4. tit. 15. part. 4. 17. tit. 6. lib. 3. For. Reg. Quod, posteaquam legitimatio præcesserit, sive per matrimonium, seu rescritum, eo à principe spirituali, aut seculari proveniente, magnam utilitatem legitimatus & honores consequitur, & in bonis paternis, sub certis qualitatibus succedere potest, lex 2. tit. 13. 3. 4. & 9. tit. 15. p. 4. cum dict. 17. Reg. For. asserit: Quod semper verba rescriti sunt attendenda, est comprobatum, vid. lit. B. pag. 362. col. 1. & 421. col. 1. in add. hisp. novis. Potest Summus Pontifex ad ordines, & beneficia, ad omnes dignitates, majores & minores, quemcumque legitimare: tantum intelligitur dispensatum quantum expressum: Princeps Secularis in temporalibus, si voluerit, quoad omnia: uterque intra suos cancellos continere se debet: quoad spiritualia Summus Pontifex, quoad temporalia Regia Majestas, ita est decisum, videatur lex 4. tit. 15. p. 4. Circa primum lex 5. ibi: Et aun puede dispensar: tit. 15. p. 4. Respice leg. 12. tit. 6. p. 1. ubi præscribitur, nisi à Papa fiat legitimatio, illegitimum ordinari non valere, seu religionem fuerit ingressus: hi vero, etsi ordinem accipere possunt, nequeunt dignitatem, sive personatum obtinere, præterquamquod etiam ad hoc fuerint dispensati: in prædicta lege ut cognoscatur, quinam illegitimi censeantur, quales sint legitimi, demonstratur, videlicet qui benedictionibus nuptialibus præcedentibus nascitur: qui secundum Ecclesiæ mandatum contracto matrimonio cum ea, ex qua natus est filius: qui per summum Præsulem ecclesiæ, aut alium suo nomine legitimatur, hi omnes ordines recipere possunt.

Vid. leg. 20. tit. 11. lib. 2. Recop. Cast. & 12. tit. 2. lib. 6. ejusdem, in quibus decernitur, legitimaciones illegitimos factas, nec ad fruitionem nobilitatis, nec ad gabellarum exemptionem proficere: iteratur per consequens comprobatio, quod ultra in rescrito expressum non comprehendit. Præter inserta aliæ causæ numerantur, ob quas legitimatio procedet, hoc est, si naturalis filius curiæ regiæ, civitatis consilio, servitio que oppidi (insuperhabetur sit, necne in usu: à lege proponitur) 5. tit. 15. p. 4. offeratur: si pater in testamento, non extantibus legitimis, hæredem filium instituerit, & à principe confirmetur, leg. 6. ejusd. Si coram testibus, & regio notario leg. 7. filium ejus recognoverit pater, legitimatur.

Ad rem vid. verb. Civitas, præsertim in addit. hisp. & novis. verb. Concursus, vers. Hisee in regnis: Multum conducit quod ab Auctore ex pag. 322. num. 65. art. 5. usque in fin. lit. B. inseritur.)

Filius illegitimus nequit in ecclesia, ubi pater ejus beneficium habet, vel habuit, quodcumque beneficium obtinere; *Cap. Ad præsentiam* 2. cap. Cum decorem 15. & Cap. Ad abolendam, 16. de Filiis Presbyterorum. & expresse Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de reformat. ibi: "Ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile benefi-

68 „cium obtinere. Nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere.“ Immo filius illegitimus in tali ecclesia nec etiam potest sacristam, musicum, aut aliud ministrum agere; Colligitur ex Concil. Trid. loc. cit. ibi: *Nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, & sic fuisse decisum à Sacr. Congregat. refert Barbosa de Offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 65. n. 20. & tenent Navarr. consil. 1. q. 17. de Consti. Garzias de beneficiis part. 7. cap. 3. n. 68. Reiffenstuel loc. cit. n. 31. & alii passim. Etiam si fuerit illegitime natus ante clericatum parentis; & ratio est, quia etiam illegitime procreatis ante clericatum urget ratio allata à Concil. Trid. loc. cit. scilicet *Ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis arceatur, & sic fuisse à Sacra Congregat. decisum refert Garzias loco citato cap. 3. num. 15. & sequitur Barbosa loc. cit. allegat. 65. n. 6. cum aliis.**

70 Filius Presbyteri quamvis legitimus, idest procreatus legitime ante clericatum nequit immediate succedere in beneficio paterno, textu expresso in *Cap. Quoniam 10. & cap. Ad extirpandas 11. & cap. Michael 13. de Filiis Presbyteror.* Potest tamen filius legitimus Presbyteri succedere mediate in beneficio paterno textu expresso in *cap. Ex transmissa 7. de filiis Presbyteror.* Barbos. l. c. alleg. 65. num. 16. Garzias loc. cit. cap. 3. num. 18. Pirhing. lib. 1. decretal. num. 50. Reiffenstuel loc. c. num. 34. & alii communiter Filius legitimus Presbyteri potest habere aliud dissimile Beneficium in ecclesia, in qua pater ministrat, textu expresso in *cap. Ad hæc 12. de filiis Presbyter.* Immo filius legitimus Presbyteri potest etiam præesse ecclesiæ, in qua pater sine titulo quandoque ministravit, textu claro in *Cap. Constitutus 8. de filiis Presbyter.* Tunc enim non fit successio in ecclesia, vel beneficio, cum istud pater non præhabuerit. Solus Papa dispensat; ut filius immediate succedat patri in beneficio, textu expresso in *cap. Dilectus Filius 17. de filiis Presbyteror.* Potest tamen absque alia dispensatione pater succedere immediate in beneficio præhabito à suo filio legitimo; sic fuisse decisum à Sacra Congregat. Concilii 22. Decemb. 1694. refert Garzias de beneficiis part. 7. cap. 3. num. 29. & tenet Engel lib. 1. decretal. tit. 17. num. 3. Reiffenstuel ibidem num. 39. Barbosa de Offic. & potest. Episcop. part. 2. alleg. 65. n. 17. & alii communiter. (Vid. lit. A. pag. 52. in add. hisp. & lit. C. pag. 62. & 63. in ead. ac novis hisp. add. Conducit lit. D. pag. 86. in novis.)

76 Filius familias (idem est de Filia familias) qui est filius naturalis, vel adoptivus sub patria potestate constitutus, quatuor præstare tenetur parentibus, scilicet

77 *amorem, obedientiam, reverentiam, & auxilium.* Contra *amorem* graviter peccat filius, si signa odii parentibus ostendat, & aspere tractet, si torvis oculis fere semper eos intueatur, ac ita aspere, & dure loquatur, ac si odio haberet, si grave malum v. g. mortem eis optet. Ad hoc faciunt duæ propositiones merito damnatæ ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. Prima, quæ est in ordine 14. „Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientes, quia scilicet ei obventura est pinguis hæreditas.“ Secunda, quæ est 15. in ordine: „Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.“

78 Contra reverentiam graviter peccat filius, si parentes etiam leviter percutiat, si graviter contristet, ad gravem iram provocet, si maledicta, convitia, & hujusmodi in eos conjiciat, si pauperes despiciat, vel nolit eos pro parentibus agnoscere, si in foro externo etiam de vero crimine accuset, extra crimen hæresis, prodicionis, vel conjurationis in Principem, cum non est alius corrigendi modus. Contra *obedientiam* graviter peccat filius, si in re gravi sit inobediens circa ea, quæ pertinent ad gubernationem domus, ad bonos mores, vel ad animæ salutem; si contra voluntatem parentis ducat uxorem se indignam, idest cum qua juxta suæ regionis praxim nequeat contrahere sine dedecore; si sine justa cau-

sa nolit eam ducere, quam juste vult parens. *Contra debitorium auxilium* graviter peccat filius, si non subveniat in gravi necessitate spirituali, vel corporali. (Vid. in princip. lit. F. pag. 23. in add. novis. hisp. Consonat lex 3. tit. 24. cum proæmio tit. 19. p. 4. vid. verb. Feudum.)

Bona filiorumfamilias alia sunt *castrensia*, alia quasi *castrensia*, alia *adventitia*, & alia *profectitia*. Quæ sint talia bona, & quid circa ipsa possint, vel non filii, vid. verb. *Bona art. 6. à num. 38. usque ad finem.* Filius peccat graviter, & tenetur ad restitutionem, si rationabiliter invito patre notabilem quantitatem surripiat de bonis paternis; *Communis.* Quæ autem sit notabilis quantitatis sufficiens ad peccatum mortale, non satis conveniunt in hac assignanda Doctores; Lessius enim lib. 2. cap. 12. dubitat. 23. num. 76. de injuriis fortunarum. Navarr. Filliucius, & alii volunt, filium non esse condemnandum peccati mortalis, si duos, vel tres aureos auferat à patre divite; secus si à mechanico exiguæ fortunæ. Salas de hoc rogatus respondit, filium unicuique patris habentis annue mille quingentos aureos, posse sine mortali auferre singulis annis viginti vel triginta aureos, quod Lugo dist. 16. sect. 4. non improbat, si parens non sit tenax, & filius jam adoleverit, simulque furetur ad usus honestos. Bannes dicit, ad furtum grave filii parentis prædivitis requiri saltem quinquaginta aureos, quod Lugo cit. disp. 16. num. 70. merito rejicit, nisi forte esset filius Principis, aut Magnatis. Cenedo apud Tamburin. lib. 8. tit. 2. cap. 5. num. 3. dicit, non fore mortale, si filius intra annum non furetur ultra sexdecim solidos Holandicos; Fagundez, si non ultra quatuor, vel quinque. At quia in hoc generalis regula statui nequit, Sporer tom. 2. tract. 5. in sept. & decim. præcept. Decalog. cap. 5. sect. 2. num. 57. merito dicit, quod prudens Confessarius arbitrari debet, non solum ex materia ablata, sed etiam ex circumstantiis personarum, scilicet ex statu, & facultatibus, ejus genio, & affectu in filium, & filiorum pluralitate, vel paucitate, ex filii accipientis ætate, & rei acceptæ usu, & similibus, semper tamen vitando extrema, ut nec temere peccati mortalis scrupulus is injiciatur, nec etiam, quod sedulo cavendum, ansa præbeatur ad furandum de bonis parentum.

Filius peccat graviter, si expendat in res turpes, aut vanas (ut in ludum, in computationes, in foeminas) contra voluntatem parentum notabilem summam ex pecunia sibi tradita ad honestos usus, v. g. ad emendos libros, vestes; ad solvendum didactra magistris; Navarr. cap. 17. num. 164. Lessius loc. cit. num. 77. & alii passim. Insuper talis filius tenetur ad restitutionem, cum ad alium usum jus non habuerit, maxime si parens inde damnum acceperit, ita ut ratione talis mali usus facti à filio plus quam expendisset, debuerit pater expendere. Et si non possit restituere, tenetur adducere in divisionem, nisi forte constet alios tantumdem expendisse, vel nisi parens condonaverit, aut pater, & fratres tales vanas, & turpes expensas scientes non petant satisfactionem, quia in tali casu censentur condonare; Lessius loc. cit. num. 77. Burgh. centuria 1. cas. 36. & alii. Si Filius alatur in loco distante à parentibus, poterit ex alimentis moderate aliquid insumere in lusus honestos, & similes honestas recreationes, v. g. 5. ex 100. Item illud, quod parcius vivendo reservat ex pecunia sibi emissa. *Communis.* Filius in domo paterna laborans probabiliter non potest petere salarium, nec si illud negetur, uti occulta compensatione, Glossa in leg. Cum oportet Cod. de bonis quæ liberis &c. verb. Ejus substantia; Petrus Navarr. lib. 3. cap. 1. num. 75. Silvester verb. Peculium 1. q. 12. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 234. Diez in practic. qq. q. 8. §. 2. Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. c. 8. num. 22. La Croix lib. 3. part. 1. num. 1034. aliique plurimi, quos citat, & sequitur Moya tom. 6. d. 4. quæst. 1. Et ratio est, quia Jura indistincte ajunt, quæ ex re, sive substantia patris proveniunt, ipsi patri acquiri; Instit. Per quas personas nobis acquiritur q. 1. & citat. leg. Cum oportet Cod. de bonis quæ liberis &c. Quid enim magis rationi congruum est, inquit Card. de Lugo disp. 5. num.

num. 45. quam ut filius agricolæ juvæt patrem in agricultura, filius mercatoris in mercatura? præsertim cum sic addiscant illas artes, inquit recte Molina *loc. cit.* addens non facile fore tam audacem filium, qui ideo petat salarium. Tum quia si salarium petat, pater juste subtrahit victum, & vestitum, non enim tenetur hæc dare filio potenti ea lucrari, adeoque salarium compensatur per sustentationem.

88 Contraria tamen sententia est etiam probabilis, & hanc post Bartolum sustinent Navar. *cap. 17. n. 144.* Angelus *verb. Peculium num. 11.* Lopez *part. 2. instruct. cap. 21.* Dicastill. *lib. 2. tom. 2. d. 9. num. 187.* Burgh. *cas. 80.* Lessius *lib. 2. c. 12. num. 81.* aliique apud Moyam *tom. 6. d. 4. quæst. 1. qui num. 7.* vocat hanc sententiam probabilissimam; Dian. *part. 4. tom. 4. resolut. 66.* vocat tutam. Et ratio iterum est, quia talis filius est veluti socius negotiationis, neque debet esse deterioris conditionis, quam famulus, vel extraneus, qui cum hero lucraretur juncta industria; quod magis valet, si filius sit emancipatus, aut illegitimus; uti notat Sanchez *in Consil. l. 1. cap. 2. dist. 8.* Vel si opera, & obsequia præstita non sint ex iis, quæ pater à filio potest jure paterno exigere, sed sint supra debitum filii, tunc enim, ut recte notat Lugo *cit. disput. 5.*

89 num. 42. posset filius velle stipendium sibi reddi. Si autem ob metum reverentiale patris filius salarium petere non audeat, vel probe sciat, si petat, se repulsam laturum esse, volunt citati Doctores pro secunda sententia, quod licitum sit filio uti occulta compensatione. Quod tamen non audeo ego admittere, quia occulta compensatio non est licita, nisi ubi jus est certum, idest ut moraliter certo constet rem esse tuam, aut tibi ex justitia deberi; *lib. 4. de compensationibus, ut dictum est verb. Compensation num. 3.* & recte dicit La Croix *lib. 3. part. 1. num. 962. & num. 1035.* Jus autem filii non est hic certum, quia nostra sententia est saltem probabilis, adeoque &c. & videtur sic tenendum etiam ratione propositionis 37. inter damnatas ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. ibi: „Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occulte heris surripere ad compensandam operam suam, si majorem judicant salario, quod recipiunt. (Vid. verb. Famuli.)

91 Filius in extrema necessitate patris, & filii proprii tenetur potius subvenire patri, quam filio, quando non potest utrique; D. Thomas 2. 2. *quæst. 26. art. 9. ad tertium, Magister Sentent. in 3. dist. 29.* Abulensis *Matth. cap. 22. quæst. 311.* Coninc. *de Charitate disput. 25. num. 109.* Ovied. *de charitate contr. 8. punct. 5. n. 107.* Diana *part. 10. tract. 13. resolut. 3. vers.* Sed ergo in ejus favorem: Busebaum *lib. 2. tract. 3. dub. 1. sub num. 14.* La Croix *lib. 3. part. 1. num. 721.* Sporer. *tom. 1. tract. 3. in 4. præcept. Decalog. cap. 6. num. 138.* ubi dicit, esse communissimam, Felix Potestas *tom. 1. part. 2. num. 291. & num. 2040.* & alii plurimi ex Theologis. Ex Juristis autem Cinus *in l. 2. in fine Cod. de Patribus qui filios distrax.* Ascanius *de patriæ potest. effectu 16. num. 34.* Bellamera *in tap. Parsimoniam leg. 41.* Præpositus *in cap. Cum haberet, de eo qui duxit in matrimonium; Surdus de alimentis tit. 1. quæst. 92. num. 6.* & varii alii. Immo multi volunt, potius patri, quam filio esse subveniendum etiam in alia æquali necessitate, quando non potest utrique; sic Paschalis *de patria potest part. 2. cap. 3. num. 63.* Pontanus *de alimentis tit. 1. cap. 9. num. 3.* Præpositus *in citat. cap. Cum haberet, de eo, qui duxit in matrimon. Surdus de alimentis tit. 1. q. 94. num. 2. & sequent.* Salicetus, seu Auctor ab eo relatus *in lib. 2. num. 7. in fine. Cod. de patribus qui filios destrax.* & alii. Ex Theologis D. Thomas 2. 2. *q. 26. art. 9. ad tertium; Magister in 3. sentent. dist. 29.* Cajetanus 2. 2. *quæst. 31. art. 1. ad quartum; Valentia 2. 2. disp. 3. quæst. 4. punct. 5. vers. Octavo sequitur; Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 4. num. 26.* Suarez *de Charitate fraterna disput. 9. sect. 4. num. 6.* Ovied. *de charitate contr. 8. punct. 5. num. 107.* & alii plures apud Joannem Angelum Bossium *de effectu matrimonii part. 2. cap. 22. §. 6. num. 1215.*

93 E contra multi alii tenent absolute oppositum, sci-

licet quod quis in concursu necessitatis patris, & filii teneatur potius alere filium; Sic. Roccafull. *in sua praxi quid agendum part. 3. lib. 2. num. 45.* Bartolus *in leg. Nam quemadmodum. ff. de Liber. agnosc. Prælati in c. Cum haberet, de eo, qui duxit in matrimonium: Merlinus de legit. lib. 1. tit. 3. decis. 5. num. 32.* Franciscus Maria Pratus *lib. practic. observat. 891.* Alexander *in leg. In suis n. 7. ff. de lib. & posth. Faber. in §. Jus naturale num. 3. Instit. de Jure nat. Ancharanus in cap. Cum haberet num. 13. de eo, qui ducit in matrimonium, Corduba à Lara in leg. Si quis à liberis, in princip. n. 35. ff. de lib. agnos. Joannes de Lignano in tr. de amicitia §. de subventionem paterna, & filiali n. 16.* Antisiodorensis *l. 3. summæ tr. 3. c. 5.* Fagundez *in decalogum l. 4. c. 1. n. 12.* & alii apud Bossium *l. cap. n. 1213. & 1214. & sequent.* & fuse Rosignolus *contract. XV. de matrimon. 2. disput. 2. §. 16. n. 5.* ubi absolute concludit, quod etiam stante extrema necessitate utriusque, potius sit subveniendum filio quam patri, & adducit varias probationes, & resolvit argumentum contrariæ; Sic etiam tenet *in tomo de patria potestate discept. 3. cap. 4. num. 25. & 26.*

Filius in extrema necessitate matris, & filii proprii, quando non potest utrique subvenire, tenetur etiam potius subvenire matri, quia antiquius, & excellentius debitum est erga parentes, qui nobis existendi causa, & principium post Deum fuerunt. Unde æquitas postulat, ut in extrema necessitate eos ab interitu ante omnes alios liberando eis veluti vicem rependamus; & quidem patri prius, & potius quam matri, quia pater priorem, & excellentiorem principii locum, & ordinem obtinet, quam mater, sicuti notaverunt S. Hieronymus *in cap. 44. Ezechielis; S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 20.* Ricard. *dist. 29. art. 1. quæst. 9.* Layman *lib. 2. tr. 3. cap. 3. num. 6.* Sporer *loc. cit. num. 338.* ubi testatur esse communissimam. Filius in extrema necessitate tenetur subvenire potius patri, & matri, quam propriæ uxori; *Communis cum S. Thoma l. c. art. 9. & Magister Sent. in 3. dist. 29. teste Sporer loc. cit.* propter rationem numero antecedenti assignatam. Immo prius quam uxori tenetur in extrema necessitate potius succurrere propriis filiis, quia potior est conjunctio parentum ad filios tamquam aliquid sui existentes. Hanc quoque Sporer *loc. cit.* dicit esse communissimam, quamvis alii improbabiler aliter sentiant.

Extra autem extremam necessitatem debet potius filius subvenire propriæ uxori, quam parentibus, & filiis, quia maritus cum uxore sit una caro; *Genes. 2. Relinquet homo patrem suum & matrem, & adheret uxori, & ad Ephes. 5. Vir diligit uxorem tamquam carnem suam.* Sporer *loc. cit. num. 139.* & alii passim. Sunt tamen qui volunt, nedum in extrema, sed etiam in gravi necessitate debere filium potius subvenire patri, & matri, quam uxori, & filiis; Sic Tamburinus *l. 5. c. 3. §. 5.* La Croix *lib. 3. part. 1. num. 722.* & alii. In communi necessitate tenetur filius potius subvenire proli suæ, quam parentibus, quia proles est sub cura parentum, & ab illis etiam extra extremam, & gravem necessitatem jure postulat alimenta, non item parentes; 2. enim *ad Corinth. cap. 12.* sic habetur: *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis; Communis.* Vid. verb. Necessitas. (& Alimenta.)

Filius quantumvis obstrictus voto Religionis, non potest Religionem ingredi existentibus parentibus in extrema necessitate, cui non possint obsistere sine ope filii; *Communis cum S. Thoma 2. 2. quæst. 161. art. 4. ad tertium, & quartum; Silvester verb. Religio 6. q. 9. Navarr. in Manual. cap. 14. num. 14.* Astensis *in Summa part. 1. lib. 1. lit. 24. art. 3. q. 4. art. 4. Cajet. 2. 2. quæst. 189. art. 6.* Nec officit quod filius sit vinculo voti obstrictus, quia, ut recte notat Joannes Angelus Bossius *de effectu matrimon. part. 2. cap. 23. n. 268.* & Rosignol. *de patria potest. discept. 3. num. 17.* obligatio naturalis subveniendi parentibus extreme indigentibus antiquior est, & fortior obligatione voti, nec voto tolli potest. Si filius existentibus suis parentibus in extrema, vel gravi necessitate Religionem ingrediatur,

& profiteatur, professio est valida, sed illicita, unde si aliter ipsis subvenire nequeat, tenetur exire. Non tenetur autem, nec potest exire, si sine egressu possit ipsis subvenire suis operibus, & industria, v. g. si à poenitentibus, aliisque sibi benevolis petat eleemosynas ad subveniendum suis parentibus in extrema, seti gravi necessitate constitutis; vel si ex sibi à religione attributis aliquid subtrahat, & illud conferat parentibus, vel si impletis consuetis muneribus præstandis in favorem monasterii se exerceat in pingendo, scribendo, concionando, vel aliis operibus, ex quibus mercedem, seu eleemosynam aliquam acquirat, & conferat in subventionem parentum petita facultate à superiore, & hujusmodi; Valentia 2. 2. disput. 7. quæst. 1. punct. 2. verb. Puto omnes; Suarez tom. 3. de Relig. cap. 5. num. 10. Savrus lib. 1. Clavis cap. 6. num. 18. La Croix lib. 4. num. 180. Rosignol. de patria potest. lib. cit. num. 39. & alii passim.

¹⁰² Filius Religiosus professus nequit è religione exire ad subveniendum suis parentibus in extrema, vel valde gravi necessitate, nisi accedat suorum Superiorum placitum, & facultas; S. Thomas 2. 2. quæst. 101. art. 4. & ibi Cajetanus, & quodlib. 3. art. 16. & quodlib. 20. art. 9. Alexander tertia part. quæst. 33. memb. 4. quæst. 2. Astensis in Summa prima part. 1. tit. 24. artic. 3. quæst. 4. Lyranus in Matth. cap. 15. Silvester verb. Religio 6. quæst. 9. Tabiena verb. Pietas num. 3. S. Antoninus, Armilla, Sa, Sanchez, Layman, aliosque plures allegat Joannes, Angelus, Bossius part. 2. de effect. matrim. cap. 23. num. 1296. La Croix lib. 4. num. 180. Et ratio est, quia professus in religione non habet posse, nec velle, cum suam voluntatem, seque ipsum transtulerit in potestatem religionis, à qua in omnibus dependere debet: adeo ut quidquid agit contra voluntatem Superiorum ejusdem, inique agat, & consequenter non accedente superiorum consensu, non poterit à religione exire ad subveniendum extremæ seu valde gravi necessitati parentum, cum talis necessitas superveniens professioni jam emissæ inveniat subjectum impotens ad sic subveniendum. Non dessunt tamen magni nominis Doctores sustinentes, posse Filium è religione exire etiam contra voluntatem suorum Superiorum ad subveniendum parentibus in tali necessitate, quia dicunt ipsi, professus adhuc manet filius, & obligatio filii erga parentes ita est naturalis, & intrinseca, ut nequeat per ullum statum eximi; Sic Palacius in 4. dist. 38. disput. 1. Silvius part. 1. verb. Egressus è Monasterio; Viguerius lib. Insiit. cap. 6. §. 7. aliique plures apud Sanchez in Decalog. lib. 4. cap. 20. num. 25. & apud Mendo dist. 3. num. 2. & apud Rosignol. de patria potest. loc. cit. num. 40.

¹⁰⁴ Filius familias, si sui parentes non sint in extrema, vel gravi necessitate constituti, potest etiam ipsis invitis statum religiosum assumere; S. Thomas 2. 2. quæst. 189. art. 6. Bartolus in leg. 10. §. Si parens ff. Si quis à parent. fuer. man. Palacius in cap. Per vestras §. 11. num. 1. de denat. inter vir. & Uxor. & communis aliorum. Et ratio est, quia filius in statu eligendo est sui juris, præsertim in his, quæ sunt divini obsequii; Tum quia magis est obediendum vocanti Deo, quam parentibus carnalibus; Hinc Christus Matth. 7. reprehendit discipulum, qui volebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ, Et S. Hieronymus in Epist. ad Heliodorum, quam refert D. Thom. 2. 2. quæst. 101. art. 4. ait: »Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, Ad vexillum Crucis evola, summum genus pietatis est in hac re fuisse crudelem.»

¹⁰⁵ Filius non solum inspecto Jure naturali, sed etiam Jure civili, potest vendi à patre in extrema, & valde gravi necessitate, cui aliter subveniri non possit.

FERRAR. BIBLIOTHEC. TOM. IV.

Quod hoc possit de jure naturali, colligitur ex pluribus textibus sacræ scripturæ, ubi habentur plures venditiones filiorum factæ à parentibus, ut 2. Nehemie cap. 3. Exod. 21. Deuteronomii 15. quæ tamen ibidem non reprobantur, & certe non subsisterent, si essent Jure naturali vetitæ, & sic tenent Covarr. variar. resol. lib. 3. cap. 14. Angelus verb. Servitus num. 1. ad fin. Sotus de Institut. lib. 4. quæst. 2. art. 2. & in quarto dist. 29. q. 1. art. 4. Silvester verb. Emtio quæst. 3. num. 6. Rosella verb. Emtio num. 26. Tabiena verb. Emtio num. 7. ad fin. Azorius Institut. moral. part. 2. lib. 2. cap. 19. vers. Mihi vero probatur, & alii passim. Quod hoc etiam possit de Jure civili, colligitur ex textu in leg. 2. Cod. de patrib. qui fil. distrax. & sic tenent Salicetus in dict. leg. 2. num. 1. ff. de patrib. qui fil. distrax. & ibi Baldus num. 3. & Glossa Navarr. in Manual. cap. 13. num. 26. Rebellus de oblig. justit. part. 1. l. 1. quæst. 9. num. 9. Joannes Angelus Bossius tract. de patr. pot. cap. 3. num. 5. Villalobos in Summa t. 2. tract. 10. diffic. num. 7. Lessius de just. lib. 2. cap. 5. verb. Adverte. Rosignol. de part. pot. l. c. num. 5. & alii. Immo antiquitus sancitum fuerat in lege Romuli de qua mentionem faciunt Covarr. var. ¹⁰⁶ resol. lib. 3. cap. 14. num. 4. vers. Secundo Azorius Instit. mor. par. 2. cap. 19. vers. Secundus effectus, Rosignol. loc. cit. num. 1. quod absolute posset pater indistincte, & sine ulla necessitate filium cui-cumque voluerit vendere, sed barbara illa lex Romuli correctâ est per textum in leg. Celsus, & leg. Si in Emtione §. Liberum ff. de contr. Emt. leg. Liberis §. Si quis sciens ff. de liberorum caus. (Ad rem tit. 14. lib. 4. For. Reg. lex 22. tit. 14. p. 7. Repete add. novis. hisp. verb. Alimenta) per quæ jura est absolute statutum, quod patres nequeant vendere, seu alienare filios, nec quisquam possit hominem liberum vendere.

Filius tamen Sacerdos non potest à patre vendi, ¹⁰⁷ neque in extrema egestate famis, Surdus de aliment. tit. 8. privil. 38. num. 16. Barbosa collect. ad leg. 2. num. 8. Cod. de patrib. qui fil. distrax. Covarr. lib. 3. variar. resol. cap. 14. num. 4. Paschalis de virib. patr. potest. part. 1. cap. 1. num. 15. Molina de justit. & jur. trat. 2. disp. 33. vers. Sciendum, Azorius part. 2. lib. 2. cap. 19. quæst. 6. vers. Si verum roges, Joann. Angel. Bossius tract. de patria potest. cap. 3. num. 9. & alii, qui omnes adducunt pro ratione privilegium concessum statui Sacerdotali, cui derogare nequit necessitas patris, cum venditio caderet in dedecus talis status. Nec filius, nec filia matrimonio copulati ¹⁰⁸ sunt à patre vendi ob necessitatem famis; Covarruvias lib. 3. var. resol. cap. 14. num. 4. & seq. Castrop. de justitia trat. 1. disp. unica punct. 9. num. 6. vers. At spectato; Molina de justitia; & jur. tract. 2. dist. 33. vers. Sciendum: Azorius Instit. mor. part. 2. lib. 2. cap. 10. vers. Si iterum roges: & alii; quamvis enim stando Juri communi filii, & filiæ per matrimonium non solvantur patria potestate, ¹⁰⁹ quia tamen venditio illorum caderet in detrimentum alterius conjugis, facultas parentum ad illam non extenditur. Nec etiam filius emancipatus potest vendi à Patre ob necessitatem famis; Paschalis de vir. patr. potest. part. 1. cap. 1. numer. 13. Lesius de justitia lib. 2. cap. 5. num. 17. Pinellus in rubr. Cod. de bonis mater. part. 2. num. 23. & alii magis communiter. Facultas enim concessa Patribus in cit. leg. 2. Cod. de patr. qui filios distrax. non est solum ratione sanguinis, sed etiam ratione patriæ potestatis, à qua sunt exempti filii legitime emancipati, per totum in §. Admonendi Institut. quib. mod. jus patriæ potest. solv. & leg. Cum in adoptionibus, vers. Si vero in fin. Cod. de adopt.

Inspecto Jure naturali in extrema necessitate ¹¹⁰ famis potest filius vendi etiam à Matre & Avo. Filii enim

K

enim

☉ Quod per matrimonium filii à patria potestate solvantur, quomodo à jure nostro discernatur, multoties animadvertitur. (1)

(1) Vid. verb. Successio ab intestato in princip.

enim de Jure naturæ post Deum sunt obligati parentibus, à quibus esse acceperunt, adeoque parentum vitæ Jure naturali compelluntur suam libertatem postponere. Hinc in Sacris paginis Exod. 21 Deut. 15. Nehemiæ cap. 1. non solum in ordine ad patrem, sed etiam ad matrem permittitur talis venditio; sic tenent Covarruv. lib. 3. *variar. resol. cap. 14. num. 4.* Sotus lib. 4. *de justit. quest. 2. art. 2.* Tiraquell. lib. 1. *de retract. §. 26. num. 17.* Ascanius Clemens *de patria potest. part. 2. cap. 1. num. 9.* Molina *de justitia tom. 1. disput. 33. vers. Sciendum*, Silvester *verb. Emtio n. 6.* Lessius *de justit. lib. 2. can. 5. num. 16.* & alii. Inspecto autem præciso Jure civili talis facultas vendendi filios ob famis extremam egestatem non competit Matri, quia Mater non habet tantam potestatem in filios, quantam habet pater, prout colligitur ex textu in leg. *Transactione Cod. de transaction.* adeoque hoc non venit nomine patris, cui specialiter hoc privilegium concessum est in *cit. leg. 2. Cod. de patribus, qui filios distrax.* quod, cum sit contra filium, adeoque contra jus tertii, non est extendendum; sed strictissime accipiendum; *argum. cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* Et sic tenent Salicetus in *dict. leg. 2. num. 2. Cod. de patribus, qui filios distraxer.* & ibi Glossa *verb. Vendiderit*, Baldus *num. 4.* Pinellus *de Rub. part. 2. à num. 40. Cod. de bonis matern. Gloss. in princip. Instit. de patria potest.* Ascanius Clemens *de patria potest. cap. 6. effect. 1. num. 20.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 24. num. 16.* & *consil. moral. lib. 1. cap. 1. dub. 13. num. 2.* Rebellus *de obligat. just. part. 1. lib. 1. quest. 9.* Joannes Angelus Bossius *tract. de patria potest. cap. 3. num. 28.* Molina *loc. citat. tract. 2. disp. 33. vers. Sciendum*, & alii. Nec etiam talis facultas inspecto precise

Jure civili competit Avo, seu aliis Ascendentibus, quia quamvis appellatione Patris quandoque veniat etiam Avus leg. *Parentum appellatione ff. de verb. Signif. in lege tamen strictissima*, in qua ex dispositione juris speciale privilegium consistit, venit solummodo pater naturalis. Salicetus in *dict. leg. 2. num. 3. Cod. de patribus, qui filios distraxer.* Montalvus lib. 7. *ad fin. tit. 16. part. 4.* Barbos. *collectan. ad dict. leg. 2. n. 10. Cod. de patribus, qui filius distrax.* & ibi Baldus, *Surdus, de aliment. tit. 8. privileg. 38. num. 20.* Sanchez lib. 7. *de Matrim. disp. 24. num. 16.* & alii.

Filius non tenetur credere Matri asserenti ipsum non esse legitimum; Mater enim est incerta ad dignoscendum, an conceperit ex coitu mariti, an vero adulteri, cum supponatur pro eo tempore cohabitare cum marito, prout colligi potest ex textu in leg. 1. §. Si mulier. *ff. de liber. agnoscend.* ubi quod possit contingere casus, quod fœmina carnaliter cognita non sentiat conceptionem, adeoque ejus dicto non videtur firmiter credendum; *argument. leg. Lucius Titius ff. de condit. demonstrat.* Tum quia alleganti suam turpitudinem, maxime ubi hæc potest esse in præjudicium tertii, ex vulgata regula non est fides præstanda; Glossa in *cap. Officii, de pœnit. & remiss.* hocque satis evincit textus in leg. *Mercalem, Cod. de condit. ob turp. caus. leg. Transactione Cod. de transact. præcipue cum jura possint semper præsumere, quod assertio fuerit ex odio, vel aliquo alio pravo prætextu, prout haberi videtur in leg. fin. ff. de probat.* Sic tenet Bartolus in leg. *Filius ff. de iis, qui sunt sui, vel alieni juris; Menochius de arbitr. Judic. lib. 2. contr. 1. cas. 89. num. 5. & num. 27. vers. Extenditur quarto; Mantica de conject. ult. volunt. lib. 2. tit. 14. num. 8. Decius in cap. Per tuas num. 4. de probat. Boerius decis. 299. num. 6. in fin. Joan. Navizani in Sylva nupt. lib. 1. num. 50. vers. Presertim quando filius:: Rosignolus de patria potest. discept. 1. cap. 7. num. 1. Suarez de Censuris disp. 50. sect. à num. 5. Bonacina de his, quæ pertinent ad usum matrimonii quest. 4. punct. 15. num. 21. Syrus, & alii plures.*

Filius nec pro foro interno tenetur sic credere matri, prout signanter notat Mantica *de conjectur. ult. volunt. lib. 2. tit. 14. num. 8. & 27.* Rosignolus *loc. cit. num. 6.* Filius enim habet fundatam intentionem

suam in viribus matrimonii, cujus favor semper prævalet; *argum. leg. Miles §. Defuncta ff. de adult. Etiam si 115 mater juret ipsum non esse legitimum; cap. Per tuas 10. de probation. & ibi Felinus in princip. & num. 14. & communiter Canonistæ, & ex Theologis Suarez tom. 5. de consult. disput. 50. sect. 4. Silvester verb. Adulterium num. 5. Bannes 2. 2. quest. 62. art. 5. Bonacina de iis, quæ pertinent ad usum matrim. quest. 4. punct. 15. num. 22. & alii. Etiam si mater in exonera. 116 tionem suæ conscientiæ juret in articulo mortis, & mandaverit suo Confessario, ut post suum obitum hoc propalaret, quia nihilominus filius non tenetur eidem credere; Beorius *decis. 229. num. 7. vers. Et hoc etiam, Joan. Baptista de Barbobus de filiis famil. quest. 45. num. 15. Rosignol. loc. cit. sub num. 7. & alii. Unde Legistæ in leg. Filium ff. de his, qui sunt sui, vel alieni Juris quos citat Fagnan. lib. 3. decretal. in cap. Cum esset 10. de testament. num. 104. & sequitur Menochius de arbitrariis Judicium lib. 2. cent. 1. num. 28. & Bartolus in dict. l. Filium de iis, qui sunt sui, vel alieni juris, fatuum reputant filium, si credat matri asserenti eum ex adulterio esse genitum, ut fatuum reputarunt regem, qui renuntiavit, & dimisit regnum, eo quod mater regina in articulo mortis asseruisset, Filium, qui jam regnum assumserat, non esse ex se, & marito rege procreatum, sed ex se, & quodam milite, & teste Fagnano loc. cit. conveniunt Doctores, quod talis non tenebatur Matri credere in foro conscientiæ, quia non credit lex cui debebat se conformare; & merito Bartolus loc. cit. ipsum arguit nimis levitatis, eo quod fiderit verbis maternis, & subdit, quod, si ipse in tali casu fuisset, non deposuisset, quia matris verba non possunt filiis præjudicare quoad filiationem, per textum in leg. Neque professio Cod. de testamenti, & leg. Non nudis Cod. de probationib. & aliis concordantibus. Intellige hæc tamen 117 de filio, qui non habet conscientiam læsam, argum. dict. leg. Filium de iis, qui sunt sui, vel alieni juris, alioquin si veniat contra conscientiam, ædificat ad gehennam; cap. fin. de præscrit. Fagnan. cum aliis in lib. 5. decretal. cap. Officii 8. de pœnis & remiss. num. 20. ubi in Summario sub num. 18. dicit præfatis verbis, quod »filius, qui matri eum spurium asserenti fidem »adhibuit, & regno renuntiavit, deluditur à legibus, »laudatur à Canonistis.»**

Filius pluribus modis liberatur à patria potestate. 118 Primo per mortem naturalem patris, per textum in §. 1. vers. Hic vero, *Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv. Secundo per ejusdem patris mortem civi- 119 lem, scilicet per deportationem in Insulam ob maleficium, prout habetur in §. Cum autem, Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv. Tertio per lapsum patris 120 in hæresim etiam ante condemnationem, textu expresso in cap. 2. §. Illorum autem filiorum, de hæreticis in 6. Quarto per electionem filii ad patriam, vel consularem dignitatem; leg. ult. Cod. Decurionibus lib. 10. & leg. ult. Cod. de Consulibus lib. 12. & §. Filius familias Instit. Quibus modis jus patriæ potest. solv. Quinto per electionem filii in Episcopum; cap. Per vene- 122 rabilem, Qui filii sint legitimi: Sic etiam per assumptionem ad Cardinalatum filius liberatur à patria potestate; Glossa in Extravag. Execrabilis, de præbend. inter communes, vers. solemnitatem, Bartolus in tract. de præstantia Card. part. 1. quest. 1. num. 69. Covarruvias in cap. Quia non num. 5 de testament. Bossius de patr. potest. cap. 2. num. 76. & communis aliorum. Sexto per professionem filii seu patris in religione; Sic 123 communior Doctorum, tum Juristarum, tum Theologorum: Ex Juristis Baldus in leg. Sacrosancta num. 1. Cod. de Episcopis, & Clericis, Mysingerius in §. Filius familias. Instit. Quibus modis jus patr. potest. solv. Covarr. in cap. Qui nos num. 5. de testament. & alii plures, quos allegat. & sequitur Joann. Angel. Bossius de patria potest. cap. 2. num. 36. Ex Theologis Molina de justia tom. 1. tract. 2. disp. 140. vers. Utrum autem, Sanchez in Summa lib. 5. cap. 5. num. 29. Azorius Instit. moral. part. 2. lib. 2. cap. 20. vers. Sexto Ar.*

Armilla verb. Patria potestas, Layman lib. 3. de justitia tract. 3. part. 3. cap. 8. sub num. 13. ubi testatur de communi. Septimo per emancipationem filii coram Judice factam; leg. ult. Cod. de mancip. lib. Instit. Quibus modis jam patr. potest. solv. Octavo per adoptionem filii familias factam non ab extraneo, sed ab Avo paterno, vel materno; l. Cum in adoptivis §. Si vero Cod. de adoptionibus.

(Præterea, quæ in add. hisp. infra notantur, exposita numer. 118. 119. 124. per leg. 1. 2. 3. 4. 15. 16. & 17. tit. 18. p. 4. confirmantur. Casus inveniuntur propter quos ab eadem patria potestate filii liberantur ob delictum patris, videlicet si bannitus hic fuerit: si scienter cum uxoris suæ præmortuæ consanguinea, seu religiosa ineat matrimonium: si in filios crudeliter se gesserit: si ad peccandum ansam filiabus præbuerit: si aliquid in testamento sub conditione emancipationis ei reliquitur, & ejus possessionem apprehenderit: si privignus impubes sit arrogatus, &

sum dissipaverit: in comprobationem videantur leg. 4. lit. B pag. 260. col. 1. 6. & 18. tit. 18. ejusd. part. 4. Denique per Auct. Acord. 20. tit. 9. lib. 3. Recop. Cast. determinatur hodie præcipue, à nemine fieri posse emancipationem, nisi cum instrumentis necessariis, & illius causis ad supremum Castellæ Consilium judices ordinarii casum occurrentem referant.)

Filii alendi sunt à suis parentibus; leg. Si quis à liberis ff. de agnoscend. & alend. liberis. Non solum legitimi, sed etiam spurii. Quamvis enim Jure cæsareo parentibus interdictum esset alimenta præstare spurii, seu ex coitu damnato ortis, Authent. Quibus modis naturales &c. §. penult. Authent. Ex complexu Cod. de incest. nuptiis. Authent. Licet Cod. de naturalibus liberis; Jure tamen canonico sancitum est, quod à parentibus moderata alimenta debeant præstari quibuscumque illegitime natis, cap. Cum haberet 5. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluerat adulterio, ibi in fine: Sollicitudinis tamen tuæ intererit, ut utroque parentum

Tres tantummodò ab A. dignitates assignantur per quas filius à patria liberatur potestate: nostro verò jure, duodecim inveniuntur, ordineque sequenti numerantur: Qui consiliarius, Patricius vocatus, à Principe eligitur, primum locum tenet: (1) secundum, Proconsul, hoc est, Judex generalis Regis, ad aliquam Provinciam in justitia conservandam missus: (2) tertium, Prætorio Præfectus, Supremus Judex ad omnes lites judicandas: (3) quartum, Urbis Præfectus, Supremusque alicujus Civitatis, quæ ejusdem Regni sit caput: (4) quintum, Orientis Præfectus, hoc est, totius Terræ Orientalis, Supremus Judex: (5) sextum, si fiat Quæstor, seu tributorum Receptor, reddituumque Fisci, non tamquam Gabellarius, sed ut Curia Regis Officialis, & alius ejusdem nominis, qui coram Rege perlegit epistolas, legesque noviter factas: (6) septimum, in Militum Magisterium designatus, bajulans Regis vexillum, de Militariumque, inter alia cognoscens delictis: (7) octavum, Fisci Patronus, id est, jurium, ac rerum ad Regiam Cameram spectantium Causidicus: (8) nonum, Princeps agentium in rebus, Cohortis provisor: (9) decimum, Magister Scrinii Sacri libellorum, Cancellarius Regius nominatus, (10) quia sigilla tenet, cui omnes Notarii, & Tabelliones Cohortis subjiciantur, obedireque teneantur: undecimum Magister Scrinii memoriæ Principis, cujus munus idem importat, ac Notarius literas ejus registrans: (11) duodecimum locum tenet, qui in Episcopatum est, aut fuerit electus. (12)

Quamquam sic ad tales dignitates assumti à patria videantur potestate liberari, sola electio non sufficit: nam quatuor exceptis, Patritii videlicet, Consulis, Præfecti Prætorii, vel Episcopi, per ceteras verò non aliter solvuntur, quam capta administratione (13) illarum.

(1) L. 7. tit. 18. p. 4. Señaladamente son establecidas doce maneras de dignidades, que por cada una de ellas sale el hijo del poder de su padre. La primera dellas es, quando el Emperador, ó Rey elige alguno por su Consejero.

(2) L. 8. ejusd. Proconsul es la segunda manera de dignidad, que saca al fijo del poder de su padre, que quier tanto decir, como Juez general de la Corte del Emperador, ó del Rey.

(3) L. ead. Ibi; La tercera manera es, quando eligen á alguno por Prefecto Pretorio, que quier decir tanto, como Adelantado mayor de la Corte, que es mayor que todos los Oficiales, para juzgar, é librar en ella todos los pleytos del Reyno, é las alzadas de los Jueces de la Corte que vinieren á él.

(4) L. 9. ejusd. Prefectus Urbis, quier tanto decir en romance, como el mayor Juez de la Cibdad de Roma, ó de otra Cibdad qualquier, que es cabeza del Reyno, y es la quarta dignidad, porque sale el fijo del poder de su padre.

(5) L. ead. Ibi: La quinta dignidad porque sale ome del poder de su padre, es quando eligen á alguno por Prefecto del Oriente, que quier tanto decir, como Adelantado mayor de toda la tierra del Oriente.

(6) L. 10. ejusd. Questor es llamada la sexta dignidad, porque sale el ome del poder de su padre: que quier tanto decir, como ome que ha de recabdar los pechos, é las rentas del Rey, en que mucho se fia: E aun hay otra dignidad á que llaman otrosí Questor, que quier tanto decir, como aquel que ha de leer delante del Emperador, ó del Rey las cartas de poridad que le envian. E otrosí el que ha de leer antellos las leyes que facen nuevamente, ante que sean publicadas.

(7) L. 11. ejusd. La setena dignidad porque sale ome del poder de su padre, es quando eligen á alguno por Maestro de Caballeria, que quier tanto decir, como ome que es puesto por Cabdillo, ó por

Maestro de los Caballeros del Emperador, ó del Rey, á que llaman en romance Alferez.

(8) L. 11. ejusd. Patronus Fisci, tanto quier decir en romance, como ome que es puesto para razonar, é defender en juicio todas las cosas, ó derechos que pertenescen á la Camara del Rey: é esta es la octava dignidad porque sale el fijo del poder de su padre.

(9) L. ead. Ibi: La novena dignidad porque sale el fijo del poder de su padre, es llamada en latin Princeps agentium in rebus, que quier tanto decir en romance, como Mayordomo, ó proveedor de la Corte del Emperador, ó del Rey, ó de su compañía.

(10) L. 13. ejusd. Magister Scrinii libellorum: es la decima dignidad porque sale el fijo del poder de su padre, que quier tanto decir en romance, como Chanciller: é éste ha de tener en guarda los sellos del Emperador, ó del Rey, é las arcas de los escritos de la Chancillería.

(11) L. 14. ejusd. La oncena dignidad porque sale el fijo del poder del padre, es llamada en latin Magister Scrinii memoriæ Principis, que quier tanto decir, como Notario del Emperador, ó del Rey, que face notar, é registrar los privilegios, é las cartas que salen de la Corte, é otrosí las que envian de otra parte, que manda el Rey registrar, por haber remembranza de ellas, si menester fuere.

(12) L. ead. Ibi: La docena dignidad es, quando eligiesen alguno para Obispo.

(13) L. ead. Ibi: E estas doce dignidades sobredichas por las quatro dellas salen los fijos del poder de sus padres tan solamente por la elleccion, recibiendo las letras della, é consintiendo: maguer non use del officio que pertenesce á aquella dignidad, porque le esleyeron: é son éstas: como si le esleyessen para Patricio, ó para Consul, ó para Prefecto Pretorio, ó Obispo: en las otras dignidades non sería asi, si non usasen primeramente del Officio que pertenesce á la dignidad, porque le esleyeron.



128) tum liberis suis secundum quod ei suppetunt facultates, necessaria subministret. Cum hac tamen advertentia, quod mater tenetur alere filios primo triennio, & post triennium tenetur pater usque ad emancipationem, ut colligunt recte Doctores ex leg. Nec filium, *Cod. de patria potest. § cap. Ex literis, de convers. infidelium*, ubi decernitur filium à patre alendum post triennium. Unde deducti sunt hi vulgati versiculi.

*Mater alit puerum trimum, trimoque minorem;
Majorem vero pascere patris erit.*

129) Nomine alimentorum aliud intelligitur respectu patris, & aliud respectu matris. Respectu enim matris intelligitur solum lac, plus enim quam lac non tenetur filio exhibere; Unde si proli alia necessaria ministraverit sine animo donandi, potest repetere à patre; leg. Alimentis *Cod. de negotiis gestis, § cit. leg. Si quis à liberis à §. Si mater alimenta; Azorius Instit. moral. part. 2. lib. 2. c. 5. quæst. 8. Bonac. de leg. disp. 6. quæst. unic. punct. 6. §. 1. num. 3. Gobat in Quinario tract. 5. cap. 28. num. 15. §. 19. La Croix lib. 3. part. 2. num. 697. &*

130) alii passim. Si autem mater nequeat ipsa lac præbere filio, tenetur pater suis impensis nutricem conducere. Si vero possit ipsamet, tenetur præbere, vel suis impensis nutricem conducere; Azorius *loc. cit. Bonac. loc. cit. punct. 6. num. 5. Gobat loc. cit. num. 19. §. 20.*

131) La Croix *loc. cit. num. 697. & alii. In defectum patris, si is videlicet pauper sit, tenetur alere filios avus paternus, vel alii ascendentes, & in defectum ascendentium paternorum, hæc obligatio devolvitur ad matrem, ut colligitur ex l. Si quis à liberis ff. de liber. agnoscend. Utrum autem; § Authent. Si pater, Cod. de divortio in fine, & tenent Thesaurus *decis. 212. num. 9. Layman loc. cit. num. 7. Angelus, Armilla, Silvester verb. alimenta :: & alii apud Gobat in experient. tract. 10. num. 782. quamvis addat usum præ-**

132) sentem temporum esse contrarium. Deficiente autem matre, tenentur filios alere avus, aliique ascendentes materni *leg. penult. ff. de filiis agnoscendis; Layman loc. cit. & alii. Vide verb. Parentes num. 8.*

133) Filii etiam spurii alendi sunt ab hæredibus, *Authent. Licet Cod. de naturalibus liberis; Gobat. in Quinario loc. cit. num. 31. Covarruvias in epitome decretal. part. 2. cap. 8. §. 6. num. 21. La Croix loc. cit. num. 698. & alii. Aut à Fisco, si bona patris ei sint addicta ob crimen distinctum à crimine hæresis, vel læsæ majestatis; Gobat loc. cit. La Croix loc. cit. Bonacina loc. cit. num. 10. Clericus potest filio spurio alimenta suppeditare etiam ex bonis Ecclesiasticis; Navarr. in tract. de spoliis Clericorum §. 10. num. 11. Azorius in loc. cit. cap. 12. quæst. 4. Filiucc. tract. 28. part. 2. num. 31. Bonacina loc. cit. num. 4. Gobat loc. cit. num. 29. & alii *argum. cap. Pasce dist. 86. § cap. Cum haberet 5. de eo, qui duxit in matrimonium. Sup-**

135) prædicta tamen de præstandis alimentis filiis, intelligi debent, si filii non possunt habere, unde se alant, *cit. leg. Si quis à liberis ff. de filiis agnoscend. §. Sed si filius, Covarruvias loc. cit. num. 13. cum ceteris Jurisconsultis, Gobat loc. cit. num. 24. Layman loc. cit. num. 7. Reginal. lib. 20. num. 39. & alii. Alimenta enim debent præstari, si necessitas adsit, & non aliter; Thesaurus loc. cit. num. 16. Gobat loc. cit. num. 24. & alii passim. Unde si filius aliunde habeat sufficientem sustentationem, vel laborando honeste acquirere possit spectata qualitate personæ, ac status sui, vel si sit artifex, parentes non tenentur ipsum alere; tunc enim præsumitur posse seipsum alere; Thesaurus *loc. cit. num. 17. Layman loc. cit. num. 7. Gobat loc. cit. num. 24. quandoquidem quilibet præsumitur ex suo opificio posse non solum ali, sed etiam ditari; Sic ex Baldo Gobat loc. cit. num. 24. Thesaurus loc. cit. & alii.**

136) Filios spirituales esse alendos à patribus spiritualibus, docent quidem Juristæ apud Tiraquell. *Commentar. in leg. Si unquam Cod. de revocat. donat. Gloss. in verb. Susceperit liberos num. 31. At, ut recte notant Gobat loc. cit. num. 39. La Croix loc. cit. num. 703. & alii, nulla lex, vel consuetudo hoc probat, quod*

filii spirituales alendi sint à patribus spiritualibus, si desint parentes naturales, unde talis opinio videtur minus probabilis; *Citati Doctores. (Vid. verb. Alimenta.)*

Filii an possint, & ob quas causas exhæredari? *Vide verb. Exhæredatio.*

Filii quorum bonorum dominium habeant, & quid possint, vel non circa sua bona? *Vide verb. Bona art. 4. & verb. Dominium.*

Filii quas eleemosynas facere possint? *Vide verb. Eleemosyna.*

Varia de filiis expositis. *Vide verb. Parentes à n. 20. ad 32. verb. Expositi.*

Filius, an & quando teneatur ad restitutionem mutui sine consensu Patris accepti? *Vide verb. Mutuum à num. 5. ad 19.*

* Filii ex matrimoniis occultis nati fraudari nequeunt bonis paternis, & avitis; *Benedict. XIV. tom. 1. constitut. 45. incipient. Satis Verb. §. 9. Filii nati ex soluto & soluta legitimantur per subsequens matrimonium; Idem constitut. 113. incip. Redditæ §. 2. Filii nati ex adulterio, & constante matrimonio non legitimantur per subsequens matrimonium; Idem ibidem §. 3. & per tot. Si autem filii generati ex adulterio, nati sint post mortem legitimæ uxoris, cum quantum ad hoc inveniantur textus textibus contrarii, cumque Doctores Doctoribus, tribunalia tribunalibus adversentur, non aliter disponere in hoc casu Pontifex, quam secundum sententiam in tribunalibus, & curia illius regionis receptum, in qua esset pronunciandum. Et in dubio pro li favendum esse censuit: Idem ibidem §. 3.*

Filii nati ex incestu legitimantur, accedente dispensatione in radice matrimonii, *Idem ibidem §. 40. Ut autem obtineatur dispensatio in radice matrimonii, requiritur quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali, quodque impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non à jure divino, aut naturali, sed à jure dumtaxat ecclesiastico proveniat; Sicque, & non aliter, legitimantur proles incestuosa, vigore dispensationis, quæ dicitur in radice matrimonii: Idem ibidem §. 40.*

Filii mulierum christianarum ex Turcarum contubernio geniti, quando ad Baptismum admitti debeant, nec ne? *Vide in addit. ad verb. Baptismus.*

Filii in potestate sunt patris, non vero matris; *Idem tom. 2. constitut. 28. incip. Postremo mense §. 15. Ubi tamen fidei christianæ favor intercedit, potest mater, invito patre, filios ad Baptismum offerre: Idem ibid. §. 16.*

Filii Judæorum in parentum potestate sunt: *Idem ibid. §. 9. Non ideo tamen ipsis relinqui debent, quando constat baptizatos fuisse, etiam illicite: Idem ibidem. §. 30.**

§ Pacifica haud est opinio *Auctoris num. 41. quod habitas ad matrimonium, quam in parentibus exigit legitimatio per subsequens matrimonium, non requiritur tempore conceptionis, sed sufficiat tempore natiuitatis. Communior tamen est sententia, prolem non legitimari per subsequens matrimonium, si tempore conceptionis inhabiles erant parentes ad matrimonium; Zoes. in decret. lib. 4. tit. 17. num. 88. rursus in Pandect. lib. 25. tit. 7. num. 14. & demum in Codic. lib. 5. tit. 27. num. 14. & demum in Codic. lib. 5. tit. 27. quæst. 5. Stryk in us. modern. Pandect. lib. 4. tit. 6. §. 1. Wames. consil. canon. 545. num. 6. Sarmient. lib. 1. select. Interpret. cap. 5. num. 5. optime Mered. controvers. jur. lib. 24. cap. 5. num. 20. Pax Jordan. divers. Elucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 18. num. 46. Coccejus jur. controvers. lib. 1. tom. 6. quæst. 10. Peregrin. de fidei-commis. art. 24. num. 50. Fusar de substit. quæst. 409. num. 10. Garz. de benefic. part. 7. cap. 2. num. 36. Rot. in recent. decis. 100. num. 51. part. 5. tom. 1.*

Non obstat allegata ab *Auctore Lex Nuper Cod. de Natural. liber. ubi in fine habetur, quod in quæstionibus de statu liberorum non conceptionis, sed natiuitatis tempus, si iis sit favorabile, attendi debeat. Non obstat (ait ex proxime allegatis Zoes. in Cod. lib. 5. tit.*

tit. 27. quest. 5.) quia quum dicat inspiciendam esse qualitatem, quæ est tempore nativitatis, si ea sit proli favorabilior, non est accipienda de qualitate ex delicto complexus, sed ea quæ causatur ex instrumentis dotalibus confectis vel ante nativitatem, vel postea, cui subjungitur supradicta decisio, ut ne utiquam sit dicenda respicere qualitatem conjunctionis damnatæ; quæ uti dictum non purgatur per nativitatem prolis eo tempore, quo conjuges esse possunt. Nam alias Imperator sibi contradiceret in dict. Leg. Nuper, in cujus principio ad legitimationem desiderat ut ea in contubernio habeatur, cum qua concubium esse poterat, quæ res respicit omnino concupulam, quomodo si ea damnata fuerit non procedat legitimitas utpote deficiente uno ex requisitis.

154 Posita hac sententia, hoc venire solet in quæstionem, an locum habeat legitimitas per subsequens matrimonium, si à morte primæ uxoris ad nativitatem prolis effluxerint dies 182. in quibus concipi ea, & nasci potuit; L. 11. ff. de stat. Homin. & L. ff. de suis & legitim. Hæred. & sic concurreritabilitas ad matrimonium utroque tempore conceptionis, & nativitatis.

155 Porro negari haud potest, quod non obstante discordia philosophorum, & Medicorum prævaluit in jure opinio Hippocratis, qui in libro de Partu septimestri (ab Eruditis apocrypho existimato teste Fabrotto in exercit. de tempor. Human. Part. pagin. mibi 24.) scripsit septimo mense incepto, idest diebus 182. hominem nasci posse, ut videre est in dict. Leg. 13. ff. de stat. Homin. & in dict. Leg. 3. §. 12. ff. de suis & legitim.

156 Hæred. At ponderandum est, quod in jure nostro non aliter opinio hæc Hippocratis admissa sit, quam si is, de quo agitur, ex justo præterea matrimonio natus sit, ut satis eruitur ex ipsa L. 12. ff. de stat. Homin. & innuunt Noodt in Comment. ad Pandect. lib. 1. tit. 6. §. superest, ac Bohemer. in exercit. in Pandect. tom. 1.

157 exercit. 20 §. 12. Ita scilicet favore matrimonii prudenti consilio statutum fuit ad amputandas dissensiones, quæ perpetuo inter conjuges duraturæ essent, si partus septimo mense à die contracti matrimonii editus alii quam viro attribueretur. Quapropter non est cur nativitas tempore septimestri, quæ per naturam non est semper certa, & in jure unice admissa est in gratiam eorum, qui ex matrimonio geniti sunt, extendatur ad eum, qui extra matrimonium natus est.

160 Neque id novum in jure est. Favore quoque ejusdem matrimonii receptum est, ut qui partus nascitur marito cum uxore cohabitante, nec manifesta impotentia præpedito, is attribuitur ipsi marito, quantumvis uxor sui copiam aliis fecerit; ad vulgatissimum Textum in L. Miles 11. §. Quæ propter ff. ad Leg. Jul. de Adult. At si extra matrimonium genitus quis sit ex muliere, quæ cum pluribus commercium habuit, quum cesset favor matrimonii, nec ei partus adscribi valet, quem mulier patrem designavit, ut cum eodem postea matrimonium contraxerit.

Gravior est quæstio, an ex dispensatione in radice matrimonii obtenta post contractum ipsum matrimonium legitimetur ad omnes effectus proles antea nata, perinde ac si ex justo matrimonio nata esset.

162 Invaluit distinctio, quod aut impedimentum in parentibus ad ineundum matrimonium erat juris divini, & dicta dispensatio in radice matrimonii efficere nequit, ut filii nati perinde legitimentur ac si ex justis nuptiis nati essent, sed vix eis tribuit legitimationem, quæ dicitur per rescriptum, quum nequeat Summus Pontifex dispensando tollere nullitatem matrimonii à Jure divino inductam. Aut vero impedimentum erat Juris ecclesiastici, rursus distinguendum est, quod videlicet si matrimonium nec de facto præcessit, dispensatio in radice matrimonii non operatur, ut in casu præcedenti, legitimationem filiorum natorum per rescriptum, idque quia ubi nullum præcessit matrimonium non est radix in qua dispensetur. Sin autem de facto præcessit matrimonium, quantumvis irritum ex dicto Juris ecclesiastici impedimento, dubium nullum esse

potest, quia attenta summa, qua Summus Pontifex pollet, potestate, tollendi legem Ecclesiasticam quoad omnes effectus non solum incurrendos, sed & incursum, dispensatio in radice matrimonii vim habeat plenissime legitimandi Filios natos, eodem prorsus modo ac si ex legitimo matrimonio nati essent; Molin. de Primog. Hispan. lib. 3. cap. 2. num. 12. Fajard. de Legitim. per subseq. matrim. Torr. de Majorit. Ital. tom. 1. cap. 29. §. 4. num. 28., & plur. sequent., De Justis de dispensat. matrim. lib. 4. cap. 7.

Nec admitti potest opinio Auctoris num. 44. quod legitimitas per subsequens matrimonium veniant sub dispositione hominis directa ad legitime natos. Quum enim in his terminis qualitas legitimitatis tamquam proprie, & vere requisita tempore nativitatis prædicari nequeat de legitimatis per subsequens matrimonium, qui non nisi per quamdam Juris fictionem habentur pro legitimis usque ab initio: Hinc est quod legitimitas per subsequens matrimonium venire nequeunt sub dicta dispositione ad legitime natos directa; Merend. controuv. Jur. lib. 17. cap. 22. num. 18. rursus l. 24. cap. 5. num. 34. Peregrin. de Fideicom. art. 34. à n. 25. ad plur. sequent. Fajard. de Legitim. per subsequens matrim. membr. 4. n. 337. Ferr. de majoritat. Ital. tom. 1. cap. 29. §. 9. à num. 95. ad plur. sequent. Rot. in Romana Immissionis 21. Junii 1726. §. Recedere, cor. bon. memb. Crispol., & in Romana Salviani 7. Maii 1728. §. Ut igitur cor clar. mem. Calcagnin.

Legitimatis per subsequens matrimonium quoad omnes juris effectus exæquati sunt vere legitimis in his, quæ proveniunt, vel à providentia ipsius legis, vel ab hominis dispositione legi tamen conformi, nequaquam vero in his, quæ dependent à dispositione hominis, quæ à lege recedendo unice ad vere legitimos directa est, quum in his prout in aliis materiis dispositio hominis faciat cessare dispositionem legis, ut ex mox allegatis optime præ ceteris disserit Rot. in Romana Immissionis 21. Junii 1726. §. Si quidem, & plur. sequent. cor. bon. memb. Crispolio.

Non incongrue hic quæritur, an quæ à statutis proveniunt, attribui debeant legis providentiæ, ita ut ad ea indiscriminatim admittendi sint legitimitas per subsequens matrimonium?

Si sermo sit de statutis conditis à communitate, si ve ecclesiastica, sive laicali superiorem recognoscente, non legis, sed hominis providentiæ attribui debent, quæ ab ipsis proveniunt, nam ea nequeunt legibus accenseri; obligantque non uti leges, sed uti pacta; Huber. in Prælect. Jur. Roman. & Hodiern. part. 2. lib. 1. tit. 3. num. 21. Strauch. ad jus Justin. dissert. 1. thes. 6. Stryk juridic. dissert. tom. 5. disput. 11. cap. 1. à num. 7. ad plur. sequent. Ziegler. de jurib. majest. lib. 1. cap. 4. §. 16. Atque hinc nequeunt legitimatis per subsequens matrimonium indiscriminatim admitti ad ea, quæ proveniunt à statutis; Eo vel maxime quod legitimatis per subsequens matrimonium pro vere legitimis habeantur, quoad ea dumtaxat, quæ proveniunt à Jure communi: Add. Zoes. in Cod. lib. 5. tit. 27. lit. F. Fajard. de Legitim. per subseq. Matrim. memb. 4. num. 302. &

FILIUS VIDUÆ NAIM.

*** Quis fuerit filius Viduæ Civitatis Naim à Christo è mortuis revocatus, tradit inter alios eruditissimus Clericatus parte prima delle Spighe raccolte, italico idiomate edita dicens, quod vocabatur Maternus, ætatis viginti circiter annorum dives & nobilis, lubricam vitam ducens cum Maria Magdalena tunc in dicta Civitate Naim commorante, solo milliario à suo Castro Magdalo distante. Et erat mulier in Naim molliens virum ex mollitie pestis alliciendo ad libidinem, ut tradit Victor Antiochenus, relatus ab Alberto Magno cap. 7. in Lucam. Mortuo, Deo sic disponente, Materno, & à Christo in vitam restituto; is Magdalenam monuit de visis horrendis suppliciis, quibus torquentur peccatores, ipsam ferio exhortans ad poenitentiam de peccatis commissis, & ad omnimodam con-

conversionem, ut & ipse decreverat, & de facto jam coeperat. Magdalena monitis, & exhortationibus Materni obtemperans, illico penitus contrita convolvit ad pedes Jesu Christi existentis in eadem civitate, & ad mensam accumbentis in domo Pharisæi: »Et ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus & capillis capitis sui tergebat; & osculabatur pedes ejus & unguento ungebat. Luc. 7. 17.» Et exinde uterque ad meliorem frugem vere conversi, fidelissimi sequaces facti sunt Jesu Christi, ut & fecit vidua Materni facta discipula, & sectatrix Deiparæ Virginis, ut notat laudatus Albertus Magnus in cit. cap. 7. Luc. Tandem post passionem, mortem, Resurrectionem, & Ascensionem, Domini Nostri Jesu Christi à D. Petro Apostolo una cum Eucherio, & Valerio, ordinatus Maternus Episcopus, & ad convertendos Tungranses, Colonienses, & Trevirenses, aliosque finitimos populos missus, sanctissime obiit Treviris Episcopus, & ejus festum colitur die 14. Septembris.***

Ⓒ Hæc historia, si vera foret, quæstionem illam perantiquam, & perobscuram solveret de muliere, quam D. Lucas peccatricem appellat. Verum quum de illa nondum liqueat (nec unquam liquebit, ait Ant. Saudini in Histor. Famil. Sacræ C. X. De Christo Domino): hæc ab Auctore nostro proposita pura puta fabella credenda est. Alia etiam falsitatis argumenta occurrent, si Auctores, qui de S. Materno scriserunt, consulas. Ⓒ

FISCUS. Vid. verb. Pœna art. 2. num. 7.

F Æ M I N A.

S U M M A R I U M.

- 1 F Æ M I N A non est capax ordinum.
- 2 Error quorundam Hæreticorum, qui Fæminas ad Sacros ordines admittebant.
- 3 Affertur, & solvitur instantia de Diaconissis, Presbyterissis, & Episcopissis.
- 4 Affertur, & solvitur instantia de fabula Papissæ Joannæ.
- 5 Potest tamen Fæmina habere potestatem jurisdictionis, quamvis non possit habere potestatem ordinis.
- 6 Fæmina habens talem jurisdictionem est capax conferendi Parochialem, & Parochum nominandi, & instituendi, quem ordinarius ad regimen animarum idoneum approbaverit.
- 7 Fæmina virtute talis jurisdictionis, potest cum legitima causa privare Clericos sibi subjectos beneficiis jam illis collatis.
- 8 Non potest autem fæmina ipsos Clericos suspendere, sicuti interdiceret, & excommunicare.
- 9 Fæmina quamvis sit docta, & sancta, non debet docere, maxime publice.
- 10 Fæminæ in ecclesia debent tacere.
- 11 Fæmina, quamvis habeat jurisdictionem, ut Abbatisa in subditas, non potest publice benedicere, sed solum eo modo quo parentes solent benedicere propriis filiis.
- 12 Fæmina non potest pro ministro servire Sacerdoti ad Altare.
- 13 Fæmina, si tantum ex levitate utatur veste virili sine prava intentione, periculo scandali, & libidinis, peccat tantum venialiter, alias mortaliter.
- 14 Fæmina tenetur sub mortali etiam abstinere ab ornatu muliebri ex se nimis turpi, & ad lasciviam provocante, si prævideat aliquem in particulari probabiliter lapsurum.
- 15 Fæmina vane se ornans, & pigmentis, seu picturis se fucans ea intentione, ut aliorum oculos ad se trahat, & viros ad lasciviam provocet, peccat mortaliter.
- 16 Si autem fæmina se ornet, & fucet ex quadam le-

vitare, vel etiam quadam vanitate propter jactantiam quamdam; non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.

- 17 Immo, si fæmina se ornet, & fucet, servata recta intentione; consuetudine patriæ, & conditione status, non est peccatum.
- 18 Non est vetitum fæminis faciei vitia occultare.
- 19 Et sic etiam licitum est fæminæ se ornare sine pictura, ut viro suo magis placeat, vel ut futuri mariti præ aliis fæminis licitam benevolentiam captet.
- 20 Fæmina denudans collum, vel pectus ex intentione mala, & maxime illum morem inducens, peccat mortaliter.
- 21 Fæmina sciens se turpiter amari ab aliquo particulari, quoties eum aspicit, vel ab eo aspicitur, peccat graviter, si ei se conspiciendam offert.
- 22 Hinc peccat fæmina pergens ad hoc templum, ad hoc Sacrum, in quo est aliquis particularis, à quo turpiter amatur, quando potest aliud templum adire eo periculo vacans. Item quando it per hunc vicum &c.
- 23 Immo volunt multi fæminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse, & debere non tantum publico, sed etiam Sacro abstinere die festo semel, atque iterum ad peccatum illud evitandum.
- 24 Alii tamen universaliter sustinent, quod ob evitandum præcise scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta; Unde fæmina sciens se ardentè amari ab aliquo particulari, qui erit in Templo, possit quidem die festo abesse à missa propter charitatem, non tamen teneatur; & concedunt solum omitti debere, vel ad aliquod tempus differri actionem bonam, quæ est tantum consilii, ad numer. 25.
- 26 Fæmina in publicum prodiens, quamvis sciat se ab aliquo in particulari turpiter amari, si hoc faciat ex necessitate, nullimodo peccat, saltem non moraliter, si faciat ex utilitate, aut ne se privet sua libertate, vel jure exeundi domo, aut standi ad ostium domus, fenestram.
- 27 Fæmina permittens tactum sui impudicum ex objecto, vel osculum turpe, ac venereum in secreto, peccat mortaliter, si non impediatur, quando commode potest.
- 28 Si vero tactus sint ex objecto honesti, vel fiant in publico, ubi juxta morem regionis non possunt repelli, nisi ingerendo animis astantium suspicionem peccati, & infamando alterum, & tunc fæmina non peccat permittendo similes tactus.
- 29 Aut tactus fiant in secreto, seu etiam in publico, sine suspitione illa, & periculo infamiæ repelli possunt, & tunc fæmina peccat graviter permittendo similes tactus, oscula, & amplexus, si moraliter certo advertat malitiam, & libidinosum affectum tangentis, osculantis, & amplectentis.
- 30 Si autem dubitet, an similes tactus, oscula, & amplexus ab altero fiant malo animo, negant plurimi teneri fæminam impedire; Bonacina tamen probabilius affirmat.
- 31 Fæmina acceptans munera ab amasio, quando ei moraliter certo constat de ejus libidinosa intentione, quamvis ipsa non consentiat ejus prave intentioni, regulariter peccat mortaliter.
- 32 Adducitur, & solvitur instantia.
- 33 Si autem semel tantum, ac iterum accipiat ab amasio munera, nec certo constet ei de libidinosa intentione, ac affectione donantis, tunc non peccat sic accipiendo.
- 34 Fæmina ob munera sibi liberaliter donata ab amasio, quamvis illicite accepta, ob ejus notam libidinosam intentionem, non tenetur ad ullam restitutionem, sed licite potest retinere.
- 35 Fæmineus sexus in quo sensu dicitur devotus?
- 36 Fæmina quædam viginti duos successive habuit maritos, & deinde nupsit viro, qui viginti sepelierat uxores.

37 *Expenditur dictum Ecclesiastici, cap. 42. num. 14.* Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens.

FŒMINA non est capax ordinum; c. Novæ 10. de pœnit. & remis. & est communis inter Catholicos cum D. Cyrillo super, cap. 6. Joann. D. Ambrosio cap. 15. in Epist. ad Roman. D. Chysostom. in Epist. secund. ad Tim. 2. D. Thoma in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. & aliis communiter. Quidquid dixerint, & fecerint hæretici, qui fœminas ad sacros ordines admittebant, inter quos numerantur primo Cataphrigæ, quorum meminit D. Ambrosius in prima ad Timoth. cap. 3. Secundo Paputiani, & Papuritæ, de quibus D. Epiphanius hæres. 49. Tertio Gnostici, de quibus Tertullianus lib. de præscrip. hæret. cap. 41. Ultimo Wicleffus, & Lutherus, qui docuerunt, mulieres sacri Baptismatis fonte ablutas statim Sacerdotissas consecrari, de quibus Thomas Valdensis lib. de Sacrament. c. 59. & Roffensis art. 13. contra Lutherum. Nec officit, quod in Jure fiat mentio Diaconissæ, Presbyterissæ, & Episcopissæ, ut in cap. Diaconissam 27. q. 1. & c. Mulieres 19. dist. 32. & sæpe alibi. Non officit, inquam, quia, ut recte notant Baronius ad annum Christi 34. num. 280. Campanil. in divers. Juris Canon. rubr. 11. c. 2. Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 245. c. 3. & alii passim, ipsæ fœminæ tali nomine appellabantur, non quod sic essent ordinatæ, sed quia viri earum erant assumpti ad diaconatum, presbyteratum, & Episcopatum, & ideo uxores Diaconorum Diaconissæ, Presbyterorum Presbyterissæ, & Episcoporum Episcopissæ dicebantur, denominatione desumpta ab earum maritis. Nec etiam officit, id, quod ab aliquibus asseritur, quod quædam fœmina, Joanna nomine, ad Summum Pontificatum fuerit assumpta. Non officit, inquam, quia id, quod dicitur de Joanna, est mera fabula, talemque esse probant Bellarm. lib. 3. de Pontifice Romano c. 24. Baronius t. 10. anno Christi 853. num. 86. Papius Masson. Gallus in lib. de Urbis Episcopis, Onuphrius Panvinius in suis annotat. ad Platinam, Floremundus de Remundo in lib. Error popularis de Joanna, seu Pontifice dicta Papissa, Graveson, Ursaya, & alii passim. Vide verb. Ordo art. 2. n. 26. (Vid. verb. Papa art. 1. num. 51.)

Potest tamen fœmina habere potestatem Jurisdictionis, quamvis non possit habere potestatem ordinis. Communis. Hinc Fœmina succedens in aliquo officio, seu dignitate, quæ habeat aliquam Jurisdictionem annexam, quamvis alias capax non sit exercitii curæ animarum, tamen efficitur capax, & potest per seipsam administrare Jurisdictionem, & committere exercitium curæ viro capaci talis potestatis, & beneficia conferre, ut deducitur ex cap. Dilecta, de Majorit. & obedientia, & Rota part. 10. dec. 44. num. 23. & tenet Abbas in c. Cum Dilectus num. 20. de consuetud. Felin. in cap. Cum venerabilis num. 36. de except. Fagnan. in c. Judæorum 3. de ætat. & qualitat. num. 14. Joann. de Selva de benefic. q. 5. num. 1. & 5. & alii passim. Unde fœmina habens Jurisdictionem, ut v. g. Abbatisa, Priorissa, & hujusmodi, est capax conferendi parochialem, & parochum nominandi, & instituendi, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbaverit, ut declaravit Sac. Cong. Concilii in una Mediolanens. 17. Decembris 1701. Fœmina virtute talis Jurisdictionis potest cum legitima causa privare Clericos sibi subiectos beneficiis jam illis collatis, auferendo scilicet quod illis dedit, nempe titulum, & possessionem, nam posita hac oblatione censetur Pontifex conferre jus spirituale, quia sicuti beneficium confertur dependenter à designatione fœminæ, & collatione tituli, & possessionis, ita etiam censetur conservari Jurisdictio à Summo Pontifice dependenter ab iisdem, quibus sublatis etiam reliqua alia tolluntur; Rota part. 9. tom. 2. decis. 429. num. 10. & 20.

Non potest autem fœmina ipsos Clericos suspendere, prout suspensio est censura ecclesiastica, sicuti neque interdiceret, aut excommunicare; nequit enim fœmina censuras ferre, quia caret spirituali Jurisdictione, ut

colligitur ex cap. Dilecta, de Majorit. & Obedient. & Rota dicta part. 9. tom. 2. decis. 429. num. 17. & 18. Fœmina quamvis sit docta, & sancta, non debet docere, maxime publice, textu expresso in cap. Mulier 19. de consecratione, ibi: *Mulier quamvis docta, & sancta, viros in conventu docere... non præsumat.* Fœminæ in ecclesiis debent tacere, 1. ad Corinth. cap. 14. num. 34. & sequent. . . ibi: *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit; Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.* Fœmina quamvis habeat Jurisdictionem, ut Abbatisa, seu Priorissa in subditas, non potest publice benedicere, sed solum eo modo, quò parentes solent benedicere propriis filiis, cum munus benedictionis proveniat ex potestate clavium, quæ non competit fœminæ. Communis. Fœmina non potest pro ministro servire Sacerdoti ad altare; sic expresse prohibetur in Missali §. 1. de defectibus, & in cap. Inhibendum 1. de cohabit. Clericor. & mulier. ibi: *Prohibendum quoque est, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare. Et si mulier subjungit La Croix lib. 6. part. 2. num. 388. Et si mulier in ecclesia tacere debeat, uti habetur 1. ad Corinth. 14. multo magis abstinere à ministerio altaris.*

Fœmina, si tantum ex levitate utatur veste virili sine prava intentione, periculo scandali, & libidinis, peccat tantum venialiter, alias mortaliter; Deuteronomii enim cap. 22. num. 5. sic præcise habetur: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc (Vid. verb. Vestis, in add. hisp.)* Nullo autem modo, si utatur ex necessitate, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; cap. Quoniam 1. q. 7. cap. Omnes 1. de Fer. cap. Consulisti 3. de celebratione missar. cum multis similibus; (Leg. 49. & 50. tit. 4. 15. & 34. tit. 9. part. 1. 35. & 38. tit. 2. part. 3.) in qualibet enim dispositione intelligitur excepta; cap. Licet, de pœnit. & remis. Fœmina tenetur etiam abstinere ab ornatu muliebri ex se nimis turpi, & ad lasciviam provocante, & hoc sub mortali, si prævideat aliquem in particulari probabiliter lapsurum. Et ratio est, quia nullum habet jus ad illum nimis turpem, & lascivum ornatum, immo est ei prohibitus, adeoque tenetur ab eo abstinere ad evitandum peccatum alicujus in particulari ab ipsa prævisi probabiliter lapsuri; Busebaum lib. 2. cap. 2. art. 2. & ibi La Croix num. 343. Sporer tom. 2. tract. 5. in quint. præcept. decal. c. 1. sect. 2. n. 39. & alii.

Peccat mulier, si non abstineat ab ornatu nimis turpi, etiamsi non prævideat aliquem probabiliter lapsurum; cum enim prohibitus ei sit turpis ornatu, qui ad peccandum homines provocet, palam est, graviter eo utentem peccare, etsi non prævideat aliquem lapsurum. In verbo illo *nimis* habentur fortasse insidiæ, & deceptiones; lascivæque mulieres numquam nimis turpem credent turpem ornatum. Legantur Auctores citati à Benedicto XIV. de synodo diœces. lib. 11. c. 12. †

Fœmina vane se ornans, & pigmentis seu picturis se fucans ea intentione, ut aliorum oculos ad se trahat, & viros ad lasciviam provocet, peccat mortaliter; cap. Nec solo affectu, & tactu 12. & cap. Qui viderit mulierem 13. caus. 42. quest. 5. Unde S. Joan. Chrysostom. relatus, & secutus à Fagnan. lib. 3. decretal. in cap. Multa 1. Ne Clerici vel Monachi num. 68. sic ait: *Mulier si se decoraverit & vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam; venenum enim obtulit, etsi nullus, qui bibat, inventus sit; & concordant S. Augustinus Epist. 255. alias 73. in cap. Fucare 38. de consecrat. dist. 5. S. Cyprian. tract. de habitu Virg. post med. S. Clemens Alexandr. in Pedagog. lib. 3. cap. 2. S. Thomas 2. 2. quest. 169. art. 2. in corpor. S. Antoninus, & alii communiter. Quamobrem Eccles. 4. expresse dicitur: *Ne accipiat faciem adversus faciem tuam, scilicet faciem picturæ adversus faciem naturalem: & contrafaciens debet timere illud Joel. 2. Omnis vultus redigetur in ollam, id est vultus depictus in ollam infernalem, ut explicat**

Fagnan. *loc. cit. num. 62.* & S. Cyprianus *de disciplina*, & habitu Virginum sic expresse dicit: *Opus Dei est quod nascitur, diaboli quod mutatur.* Et in libro de habitu virginum incipiente *Disciplinae Custos*, post med. sic ait: *Non virgines tantum, aut Viduas, sed & nuptas puto, & omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei, & facturam ejus, & plasma adulterare nullo modo debeant adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine.* Et postea subdit: *Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt, impugnatio ista divini operis prævaricatio est veritatis, Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, sed quod diabolus infecit, de inimico tuo comta cum illo pariter arsura.*

16 Si autem fœmina se ornet, & fucet ex quadam levitate, vel etiam quadam vanitate propter instantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale; S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. *in corpor.*

17 Fagnan. *loc. cit. num. 69.* & alii passim. Immo si fœmina se ornet, & fucet, servata recta intentione, consuetudine patriæ, & conditione status, non est peccatum; Sic S. Thomas 2. 2. *quest. 169. art. 1. in corpor. & in cap. 3. 1. Epist. ad Timoth. lect. 2. sub fin.* Alexand. Alens. *in summ. Theolog. p. 2. q. 134. membro 1.* ubi sic præcise dicit: *Licet secundum nobilitatem personæ, secundum consuetudinem terræ, secundum dignitatem officii ornare se vestibus pretiosis, ita tamen, quod absit libido in voluntate, & scandalum in exteriori opere.* Unde

18 S. Thomas *in cit. q. 169. art. 2. ad 2.* subjicit, quod non est vetitum fœminis faciei vitia occultare, quod probat his verbis auctoritate Apostoli adhibens: *Aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa proveniente, puta ægritudine, vel aliqua hujusmodi, hoc enim licitum est. Quia secundum Apostolum 1. ad Corinth. 12. Quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, his honorem abundantiorum circumdamus.* Quo fit, ut forte non peccaverit quidam ex Proceribus, qui cum morbo gallico tabesceret, ostro pingebat pallentes genas, de quo Urbanus VIII. festive fertur dixisse: *Foris minio pictus Ibero, intus autem Gallico.* Et sic etiam licitum est fœminæ se ornare sine pictura, ut viro suo magis placeat, vel ut futuri mariti præ aliis mulieribus licitam benevolentiam captet; S. Thomas *in cap. 3. Isaia in fin.* ubi sic expresse dicit: *similiter si faciat, ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel quem accipere debet, & ut ab aliis mulieribus retrahatur, non peccat; Pontas verb. Ornatus muliebris cas. 2. & alii.*

19 Fœmina denudans collum, vel pectus ex intentione mala, & maxime illum morem inducens, peccat mortaliter; Etiam, seclusa intentione mala, graviter peccat mulier illa. Nam denudatio illicita est, non solum ob pravam mulieris intentionem; sed etiam quia de se mala est, inducens homines ad peccatum. † Elizalde *in Regul. morum lib. 8. q. 13. §. 9.* Pignatell. *tom. 7. consult. 35. à num. 27. usque ad fin.* La Croix *lib. 3. n. 248.* cum plurimis ibi citatis. Unde Ursaya *Institut. crimin. lib. tit. 5. num. 50.* notat sub excommunicationis pœna prohiberi posse ab Episcopis, ne mulieres incedant discoopertæ brachiis, vel pectore nudatæ, quia sunt incitamenta ad libidinem, & peccata, ut re mature perpensa in Urbe mandavit San. mem. Innocent. XI. cujus edictum referunt, & exornant P. Maraccius *in libercul. cui titulus: Rimedio per curare la vanità femminile*; Frauc. *de Re moral. consult. 37.* Raynald. *tom. 3. cap. 27. §. 3. num. 1.* Quamobrem S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. Pædagog. cap. 3.* sic expresse scribit: *Nullo modo permittendum est mulieribus, ut appareant aliquid corporis denudantes, ne ambo prolabantur, hi quidem, ut qui ad videndum incitentur, illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant; Semper autem tamquam præsentem Domino honeste versandum est, ne nobis quoque sicut Corinthiis succensens dicat Apostolus: Convenientibus vobis non licet Dominicam cœnam manducare; & S. Hieronymus Epist. 8. ad Demetriadem de publicis pedissequis illam informans, sic ait: Illa tibi sit pulchra, illa*

amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum non peccat, & colla denudat, nec pallio revoluta cervicem aperit, sed quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur.

Fœmina sciens se turpiter amari ab aliquo particulari, quoties eum aspicit, vel ab eo aspicitur, peccat graviter, si data opera ei se conspiciendam offert; Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 13.* Sanchez, Bonacina, Diana, & alii passim cum Busembau, & La Croix *lib. 2. dub. 5. art. 2. num. 243.* Sporer *tom. 2. tract. 5. in quinto præcepto Decalogi cap. 1. sect. 2. num. 35.* Hinc peccat fœmina pergens ad hoc templum, ad hoc sacrum, in quo est aliquis particularis, à quo turpiter amatur, quando commode potest aliud templum adire eo periculo vacans. Item quando it per hunc vicum potens commode ire per alium. Item quando domo egreditur sciens eum expectare spectandam, sic cum aliis Sporer *loc. cit. num. 36.* Immo volunt multi absolute cum Busembau *loc. cit.* & probabilius cum La Croix *loc. cit. n. 244.* Fœminam scientem, aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse, & debere non tantum publico, sed etiam Sacro abstinere die festo, semel, atque iterum, ad peccatum illud evitandum. Alii tamen cum Castropalao *tract. 6. disp. 6. part. 16.* Diana *part. 5. tom. 7. resolut. 21. & 22.* & Pasqualig. *de Sacrificio quest. 1347.* universaliter sustinent, quod ob vitandum præcise scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta; Unde Tamburin. *in decalog. l. 4. c. 2. §. 2. num. 8.* docet, quod fœmina sciens se ardentem amari ab aliquo particulari, qui erit in templo, possit quidem die festo abesse à missa propter caritatem, non tamen teneatur, quia hoc est scandalum non datum, sed acceptum, quod omnino non tenetur vitare cum tanto detrimento omissionis missæ die festo; sic docet etiam Illsung. *tract. 3. num. 111.* dicens, ne quidem semel teneri omittere. Concedunt tamen Castropal. Diana, & alii apud ipsos *loc. cit.* omitti debere, vel ad aliquod tempus differri actionem bonam, quæ est tantum consilii. (Num. 20. *Auct. 4. §. 22. tit. 12. lib. 7. Cast.*)

Fœmina in publicum prodiens, quamvis sciat se ab aliquo in particulari turpiter amari, si hoc faciat ex necessitate, nullimode peccat, & saltem non mortaliter, si faciat ex utilitate, aut ne se privet sua libertate, vel jure exeundi domo, aut standi ad ostium domus, vel fenestram; Sanchez, Cajetan. Bonacina, Diana *part. 2. tom. 15. resolut. 20.* Sporer *loc. cit. num. 35.* qui num. 37. subjungit consentire omnes, fœminam ob illam causam non teneri ad longum tempus abstinere à publico, vel actionibus de se indifferentibus, v. g. ad longum tempus non aspiciere per fenestram, non ad januam domus suæ stare, vel assidere; sed solum semel, & iterum, donec alter advertere possit se fugi ab illa. Quod si enim alterius turpis amor diutius duret, non erit amplius ex infirmitate, & scandalo pusilli; sed potius ea occasio erit ex propria amantis malitia, & non ex fœmina, quæ libertate sua jure utitur; unde deinceps non est de his curandum.

† Volunt multi absolute cum Busembau (inquit *Auctor num. 23.*) Fœminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspicit, posse & debere non tantum publico, sed etiam Sacro abstinere die festo, n. vero 26. vult, fœminam iisdem in circumstantiis constitutam peccare tantum venialiter, si, ne se privet sua libertate, domo exeat, per fenestram aspiciat; ad januam domus suæ stet, vel assideat. Harum autem fere contradictoriarum opinionum quænam sit amplectenda, prudens judicet lector. †

Fœmina permittens tactum sui impudicum ex objecto, vel osculum turpe, ac venereum in secreto, peccat mortaliter, si non impediatur, quando commode potest, quia concurret ad actum intrinsece, & mortaliter malum; Sporer *loc. cit. num. 41.* La Croix *loc. cit. num. 249.* & alii communiter. Si vero tactus sint ex ob-
jecto honesti, ut oscula in facie, tactus genarum, compressio manuum, & sola tangentis prava intentione libidinosi sint, id advertente fœmina, distinguendum est,
vel

vel fiunt in publico, ut in choreis, in convivio &c. ubi juxta morem regionis non possunt repelli, nisi ingerendo animis adstantium suspicionem peccati, & infamando alterum, & tunc foemina non peccat permittendo similes tactus, quia in re per se non mala adest excusatio sufficiens, ne scilicet ratione moris, & consuetudinis regionis in suspicionem malitiae apud spectantes veniat tangens repulsus, alias bonae famae. Aut tactus fiunt in secreto, seu etiam in publico, & sine suspitione illa, & periculo infamiae, repelli possunt, & tunc foemina peccat graviter permittendo similes tactus, oscula, & amplexus, si moraliter certo advertat malitiam, & libidinosum affectum tangentis, osculantis, vel amplectentis; Sporer *loc. cit. num. 41.* Azorius, alique cum Bonacina *de matrim. quest. 5. p. 9. num. 10.* Si autem dubitet, an similes tactus, oscula, & amplexus ab altero fiant malo animo; Filliucius, & Tamburin. *in Decalog. lib. 5. cap. 1. §. 4. num. 25.* La Croix *loc. cit. num. 249.* Sporer *loc. cit. num. 41.* & alii negant teneri impedire, quia in dubio nemo praesumendus est malus; Bonacina tamen probabilius affirmat, quia vix abest culpa, & foemina utitur jure suo, consulitque saluti proximi. Si mulier dubitet actus illos malo fieri animo, impedire, & prohibere illos tenetur; alioquin proximi saluti non consuleret, & semetipsam quoque periculo exponeret peccandi, cum sine commotione, ac delectationis periculo vix amplexus, & oscula illa contingant. Foemina acceptans munera ab amasio, quando ei moraliter certo constet de ejus libidinosa intentione, quamvis ipsa non consentiat ejus pravae intentioni, regulariter peccat mortaliter, quia sic fovet impurum ejus amorem, ac desiderium, & spem copulae aliquando obtinendae. Nec refert, quod foemina dicat se nolle consentire ejus pravae intentioni, quamvis munera acceptet, nam re ipsa acceptando adhuc relinquit spem in amasio, quod vi munerum possit tandem facilius eam expugnare; Sporer *tom. 2. tract. 5. in septim. & decim. praecip. Decalogi cap. 3. num. 141.* La Croix *loc. cit. num. 264.* & alii. Si autem semel tantum, ac iterum accipiat ab amasio munera, nec certo constet ei de libidinosa intentione, ac affectione donantis, tunc non peccat sic accipiendo; Sporer *loc. cit. n. 141.* & alii. Foemina ob munera sibi liberaliter donata ab amasio, quamvis illicite accepta ob ejus notam libidinosam intentionem, non tenetur ad ullam restitutionem, sed licite retinere potest; Et ratio est, quia foemina accipiendo non peccavit contra justitiam; impurus enim amasius liberaliter ea donavit sciens foeminam non accepturam cum pacto copulae, ut supponitur, quamvis ipse eam speraverit. Unde si sua spe frustratus amasius munera prodegit, sibi imputet, & suae libidinosae credulitati; Molina *tom. 1. disp. 95. Lugo disp. 18. num. 49.* & cum aliis Sporer *loc. cit. n. 41.* Rogarem hic Auctorem, num credat mulierem peccare, quae impurum in amasio foveat amorem? Si ita opinetur, ut opinari revera censeo: Rursum rogo, num acceptatio donorum amorem illum foveat? Num prudenter suspicari possit ab hujusmodi amore prava oriri posse desideria? Ita sane. Ergo acceptando dona nequit ea mulier esse immunis a culpa. Foemineus sexus in quo sensu dicatur *devotus* notat Macr. *in Hierolexic. verb. Antiphona in fin.* ibi: Est etiam alia difficultas in illa B. M. Virginis Antiphona, quae inter consuetas officii commemorationes habetur super verba *Intercede pro devoto foemineo sexu*, ac si sexus alius devotus non esset. Respondetur tamen, hoc nomen *devotus* hic non significare piam, ac teneri cordis erga Deum personam, sed quae Deo se devovit, ut sunt moniales, & similes; quae Antiphona desumpta est ex D. Augustino, *in Serm. 21. de Annunc.* cujus mens fuerat distinguere Clerum, & Moniales a populo juxta ecclesiae universalis consuetudinem in feria sexta Parasceves, ubi de iisdem habentur distinctae orationes; In hoc etiam sensu D. Agatha dixerat: *Soror mea Lucia Virgo Deo devota*, quia voto perpetuae virginitatis se Deo dedicaverat; Ita pariter *in Concil. Tolet. canon. 16.* habetur devotam peccantem non recipiendam

in ecclesiam; Sic apud Ursayam *in miscellaneo secundo sacro, & profano, canonico, & civili, verb. Foemineus sexus.*

Foemina quaedam viginti duos successive habuit 36 maritos, & deinde nupsit viro, qui viginti sepelierat uxores: qui postmodum vincens superstes remansit; & Populus Romanus coegit eundem virum abstinere a lugubri funere, & lauro coronatum, Palma in manibus tenta, tamquam victorem uxoris cadaver ad tumulum associare jussit; Sic Vincent. de Justis *de Dispensat. lib. 2. cap. 9. num. 16.* Majolus *de irregularitatibus lib. 1. cap. 33.* Corrad. *in praxi dispens. lib. 7. c. 2. n. 81.* & alii apud ipsos.

Expenditur dictum Ecclesiastici *cap. 42. ibi: Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*; id est, melior est pro bono tuo spirituali, quatenus magis tibi proderit, minoris periculi erit, minusque tibi nocebit vir iniquus, qui sua iniquitate, & malitia injuste te vexet, ac bonis temporalibus spoliet, quam mulier blanda & benefaciens, quae suis blanditiis, & beneficentiis ad ejus concupiscentiam te adducat, bonisque omnibus spiritualibus te denudet: vir enim iniquus, ac malignus te injuste vexando tuam exercebit patientiam, quae necessaria est, ut aeternae reportentur promissiones, sicut docet Apostolus *ad Hebraeos cap. 10. num. 36. ibi: Patientia enim vobis necessaria est, ut reportetis promissiones*; & Luc. *cap. 21. num. 19. ibi: In patientia vestra possidebitis animas vestras*; mulier vero benefica munusculis suis, & blanditiis labiorum suorum venenum libidinis, & ignem lasciviae usque ad perditionem devorantem in te succendet, ac in laqueum aeternae captivitatis te protrahet, juxta illud Proverbiorum *cap. 7. a num. 21. ad 23. ibi: Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum; statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus; velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animae illius agitur.* Unde Ecclesiastici *cit. cap. 42. antequam num. 14. dicatur: Melior est enim iniquitas viri, quam* &c. numero immediate antecedenti dicitur: *in medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tineae, & a muliere iniquitas viri*; Sic Sacri Expositores passim in praelaudat. *cap. 42. n. 14. Ecclesiastici, (Vid. verb. Delectatio. Morosa.)*

Foeminae (ait Ulpianus *in leg. 2. ff. de regul. jur.*) 38 ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotae sunt, & ideo nec Judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere. Varii Auctores varie celebrem hanc de foeminae regulam juris sunt interpretati. Unus autem Jacobus Gothofredus meo judicio verum ejus sensum est assequutus.

Publica & civilia officia non sunt hic pro eisdem accipienda, ut accipiunt Cujacius, & Petrus Faber, 39 sed observante Jacobo Gothofredo distinguenda sunt 40 publica officia ab officiis civilibus, ita quidem, ut publica civilia quoque sint, non retro omnia civilia publica. Et in hunc modum particula *Vel* posita est inter genus & speciem, quod non est novum.

Publica autem officia, ut monet idem Jacobus Gothofredus, non dicuntur hic ratione finis, vel loci, verum ratione auctoritatis, quae scilicet cum publica exercentur auctoritate, cujusmodi duo tantum exempla hac 41 regula commemorantur, Judicem esse (pedaneum scilicet, seu causae disceptatorem) & magistratum gerere cum jurisdictione & imperio, a quibus obeundis foeminae prohibentur. Civilia vero sunt ea quoque ministeria, si actus, qui partim in civitatis vel Judiciorum 42 conspectu in comitiis exercentur, partim privatim in coetus alicujus virorum ore, seu conspectu, modumque excedunt domesticae curae, cujusmodi tria exempla hic commemorantur, *Postulare*, id est *Advocare*, pro alio 43 *intervenire*, & *procuratorem existere*, a quibus quoque obeundis prohibentur foeminae.

Male autem Graeci Interpretes, ut & Glossa, Cujacius, & alii, *interventionem pro alio*, hic de Fidejus-

46 *soria intercessione* accipiunt. Interveniendi voce, ut post Petrum Fabrum probat Jacobus Gothofredus, non fidejussoria intercessio intelligi debet, verum judicialis quaedam opera, & civile officium, cognitoria & procuratoria simile.

47 Ratio vero hujus prohibitionis sive regulæ circa foeminas non fuit muliebris sexus levitas, non item infirmitas, & conditio fragilitatis, nec periculum rei familiaris, verum remotæ fuere foeminae ab officiis publicis & civilibus ob honestatem sexus, ob verecundiam, & stolæ matronalis decus. Consule toties laudatum Jacobum Gothofredum *hic*. E

(Quamvis satis sit confiteri leges hispanicas idem, quod num. 5. & ex 38. nunc usque refertur, asseverare: suis respectivis locis eas notatas invenies.)

FORUM, SEU FORUS.

SUMMARIUM.

- 1 **N**OMEN Fori quas habeat significationes, ad n. 4.
- 5 Quid sit Forum competens, & quid sit Juris Actori vel Reo circa illud; ad num. 7.
- 8 Orta quæstione de competentia Fori inter Judicem Ecclesiasticum & Laicum, ad quemnam cognitio pertineat.
- 9 Quot & quales sint modi præcipui Forum sortiendi, ad num. 33.
- 34 Quid intelligatur per privilegium Fori, & quinam eodem privilegio gaudeant, nec ne, ad num. 58.
- 59 Quenam dicatur causa mixti Fori, ad num. 61.
- 62 Quid sit Forum internum, externum, & contentiosum, ad num. 64.
- 65 Subnectuntur Additiones ex aliena manu, ad n. 82.

1 **N**OMEN Fori varias habet significationes, aliquando enim in masculino, & aliquando in neutro genere ponitur. Forum in neutro genere venit à *Ferendo*, sic dictum ab eo, quod controversiæ, & res venales illuc ferantur; M. Varro l. 1. *de lingua latina*, Calv. *Magno Lexico Jurid. verb.* Forum neutrius generis: Sic dicitur forum boarium, piscarium, in quo boves, vel pisces veneunt, Calvin. *generis loc. cit. verb.* Forum Boarium. Forum in neutro genere magis proprie accipitur pro districtu, seu territorio cujusque Judicis, intra quod in facinorosos animadvertere potest; *Leg. Pupillus §. Territorium, ff. de verb. signific. & post Hostiens. notat Abbas ad Rubr. de foro competenti, & alii passim.*

4 Forus in masculino genere describitur, quod sit *exercendarum litium à fando dictus, sive à Forando Rege, qui primus Græcis legem dedit.* Sic ad literam in *Cap. Forus 10. de verb. signific.* Alio nomine dicitur Tribunal, ut *leg. 2. ff. de Judiciis.* Item Auditorium, *leg. contra Pupillum, ff. de re judicat.*

5 Forus competens idem est, ac tribunal Judicis, cujus Jurisdictioni reus, qui convenitur, subjectus existit. Notanter autem hæc definitio Fori competentis ponitur in ordine ad reum, quia generale est, ut actor forum sequatur rei; *Cap. Si Clericus 5. de Judice compet. ibi: "Cum actor forum rei sequi debeat;" cap. Cum sit 8. ibi: "Cum sit generale, ut actor forum rei sequatur," & l. ultim. Cod. Ubi in rem actio &c.* Si reus habet multiplicem forum, in electione actoris est, eum, in quo maluerit foro, convenire; *Glossa in cap. Dilectis 17. de foro competent. vers. Ubi domicilium; & leg. ult. Cod. Ubi in rem actio &c.* id probans in *leg. 2. §. Plane, si perfecta ff. de judiciis, & sic communis Canonistarum, ut testatur, & tenet Fagnan. in Cap. Licet 20. de foro compet. num. 41.* Reus coram incompetente Judice conventus, impune non comparet opponendo exceptionem fori, dummodo tamen hæc exceptio proponatur statim ab initio ante litis ingressum, ne reo sciente, & conivente procedatur ad alia, & sic videatur is in talem Judicem consensisse, ejusque personam approbasse, ac jurisdictionem prorogasse, *leg. Consensisse §. 1. de judiciis, & patet hoc in leg. ultim. Cod. de exceptionibus,*

& amplius declarat *Glossa in Cap. Exceptionem, vers. In dilatoriis, de exceptionibus, & Abbas ib. n. 11. & alii.*

Orta quæstione de competentia fori inter Judicem ecclesiasticum, & laicum, debet cognoscere ecclesiasticus, habetur expresse in *cap. Si Judex 12. de sentent. excomm. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. loquendo de malefactore, qui captus à Judice seculari dicit se esse Clericum, decidit aperte, & absolute, quod tunc cognitio hujus causæ spectat ad Judicem ecclesiasticum, vocato tamen judice seculari, ibi: "Si Judex laicus malefactorem captum detineat, & is se Clericum dicens ad curiam ecclesiasticam petat remitti, vel curia ipsa eum tamquam suum Clericum repetat à Judice ipsum inficiante Clericum, ac ob hoc minime remittendum, dubitationis hujusmodi, an scilicet sit, qui repetitur Clericus, ad Judicem ecclesiasticum (quia de re ecclesiastica, & spirituali, vocato tamen Judice seculari, vel alio cujus interest) cognitio pertinebit": Ob quem textum ideo datam conclusionem tenuit *Rota decis. 3. alias 202. tit. de sentent. excommunic. in novis; & tenent Canonistæ communiter cum Glossa ibid. in princip. ubi dicit, quod talis pontificia decisio est expediens, & utilis valde, & sæpissime practicitur, & Covarruvias pract. quæst. cap. 33. circa init. recte monet, quod sit semper præ oculis habenda, & Felinus in cap. Pastoralis num. 4. de rescrit. advertit Lectorem, ut hujus numquam sit oblitus; & sic Barbosa in cit. cap. Si Judex num. 3. Sperell. decis. 8. fori ecclesiastici num. 23. & decis. 24. num. 59. allegans alios. Julius Clarus lib. 5. pract. crimin. §. fin. quæst. 36. num. 21. Farinacius in appendice de Immunit. eccles. num. 367. & lib. 1. praxis criminal. q. 8. num. 33. citans plurimos alios, Jason in leg. Ex quacumque num. 19. ff. Si quis in Jus vocatus &c. post Anton. de Butrio in Cap. Ceterum col. 4. de Jud. & Joan. de Imola ibid. subjungens, quod hoc communiter tenetur.*

Quamvis sint plurimi modi sortiendi forum, quorum multos enumerat in *cap. Licet 2. de foro competent. Hostiens. num. 3. Joan. Andr. num. 2. & Fagnan. n. 27. & ad sexaginta duo recenset Speculator in cit. de competent. Judic. §. 1. tamen modi ordinarii, seu speciales sortiendi forum sunt quatuor, qui expresse enumerantur à Gregor. IX. in d. cap. Licet 20. de foro compet. ibi: "Ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur forum regulariter quis sortitur." Primus igitur modus specialis sortiendi forum est ratione delicti, in cujus enim territorio quis delinquit, ejus jurisdictioni subicitur, licet alias ei subjectus non sit; *Cap. Postulasti 14. & cap. Licet 20. de foro competent. cap. De illis 1. de Raptoribus, Cap. Placuit 6. quæst. 3. & Authent. Qua in Provincia, Cod. Ubi de criminibus agi oportet, ubi sic expresse habetur: "Qua in provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus sit, illic etiam juri subiaceat."**

Delinquens, sic adhuc est in loco delicti tam respectu personæ, quam respectu bonorum etiam alibi existentium, est de jurisdictione Judicis illius loci, in quo delictum fuit commissum, dummodo executio sententiæ, quoad bona alibi existentia, fiat à Judice, in cujus territorio bona condemnati existunt. Sic clare deducitur ex *cap. Postulasti 14. de foro competent. ubi decisum habetur, quod quando Clericus habet beneficium in una diœcesi, in alia vero delinquit committendo crimen dignum privatione beneficii, tunc Episcopus diœcesis, in qua delinquit, sententiam pronunciat super Clericum privando ipsum beneficio, & executio talis latæ sententiæ quoad privationem beneficii fiat ab Episcopo, in cujus diœcesi beneficium existit, ibi: "Respondemus, quod per Episcopum in cujus diœcesi delinquit, sententia promulgari poterit in eundem, sed ab eo, in cujus diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda." Et sic textum istum intelligit *Glossa ibid. Verb. Executio facienda: præcisus his verbis: "Et sic ille Episcopus, cui subest illa ecclesia istius Clerici, privabit illum per sententiam ab alio Episcopo latam"* quam sequuntur *Speculator tit. de execu-**